DE NUMERO CICERONIANO.

DISSERTATIO

PHILOLOGA INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA KILIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS MUELLER

HAMBURGENSIS.

BEROLINI

EX OFFICINA CAROLI FROMHOLZ.

MDCCCLXXXVI.

FRIDERICO BLASS

GRATI ANIMI DOCUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Veteres prosae scriptores cum magnam orationis externae formae operam dederint multoque maiorem, quam plerique hodie cogitare solent, aequum videtur in formam apud prosaicos vix minus diligenter inquirere quam apud poetas iam pridem facere consuevimus. Sed cum rei metricae multi viri docti studuerint, ea studia quae ad numerum oratorium pertinent, usque ad hodiernum tempus fere neglecta iacuerunt. Neque mira mihi videtur haec virorum doctorum fuga; multo enim pluribus in re metrica adiumentis multoque pluribus veterum testimoniis uti licet.

De numero ex veteribus fere unus Cicero nos docet; nam, ut taceam de serioris aevi grammaticis, ea quae Quintilianus affert, parum habent fructus; Dionysii Halicarnassensis praecepta tantum de Graecis valent et fere nimis in universum dicta sunt. Sed tamen si a Cicerone proficiscimur, quoniam huius orationes cum praeceptis ab ipso datis comparare licet, totam de numero Latinorum quaestionem profligari posse non dubium mihi videtur.

Necesse est autem ante omnia, ut singulas res quam accuratissime percenseamus. Ut enim res metrica recentiorum profecta est a singularum rerum diligentissima pervestigatione, ita nobis quoque in res minutas atque, ut multis fortasse videbuntur, pusillas descendere necesse est. Hoc officium primus praestitit Georgius Wuest dissertatione quae inscribitur: De clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit, Argentorati 1881. Multa hic recte exposuit; cum antem neque omnia, quae affert, approbare possim neque totam hanc quaestionem ille vir doctus absolverit, quippe qui soli clausulae operam dederit, cetera quae ad numerum pertinent, plane seposuerit, non alienum mihi videtur in eandem rem denuo inquirere. Itaque primum, quid ex veterum testimoniis fructus colligi possit, exponam; deinde ad ipsas orationes percensendas transibo; postremo unde Cicerone numeros assumpserit demonstrare conabor.

FRIDERICO BLASS

GRATI ANIMI DOCUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Veteres prosae scriptores cum magnam orationis externae formae operam dederint multoque maiorem, quam plerique hodie cogitare solent, aequum videtur in formam apud prosaicos vix minus diligenter inquirere quam apud poetas iam pridem facere consuevimus. Sed cum rei metricae multi viri docti studuerint, ea studia quae ad numerum oratorium pertinent, usque ad hodiernum tempus fere neglecta iacuerunt. Neque mira mihi videtur haec virorum doctorum fuga; multo enim pluribus in re metrica adiumentis multoque pluribus veterum testimoniis uti licet.

De numero ex veteribus fere unus Cicero nos docet; nam, ut taceam de serioris aevi grammaticis, ea quae Quintilianus affert, parum habent fructus; Dionysii Halicarnassensis praecepta tantum de Graecis valent et fere nimis in universum dicta sunt. Sed tamen si a Cicerone proficiscimur, quoniam huius orationes cum praeceptis ab ipso datis comparare licet, totam de numero Latinorum quaestionem profligari posse non dubium mihi videtur.

Necesse est autem ante omnia, ut singulas res quam accuratissime percenseamus. Ut enim res metrica recentiorum profecta est a singularum rerum diligentissima pervestigatione, ita nobis quoque in res minutas atque, ut multis fortasse videbuntur, pusillas descendere necesse est. Hoc officium primus praestitit Georgius Wuest dissertatione quae inscribitur: De clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit, Argentorati 1881. Multa hic recte exposuit; cum autem neque omnia, quae affert, approbare possim neque totam hanc quaestionem ille vir doctus absolverit, quippe qui soli clausulae operam dederit, cetera quae ad numerum pertinent, plane seposuerit, non alienum mihi videtur in eandem rem denuo inquirere. Itaque primum, quid ex veterum testimoniis fructus colligi possit, exponam; deinde ad ipsas orationes percensendas transibo; postremo unde Cicerone numeros assumpserit demonstrare conabor.

§ 1.

De veterum testimoniorum pretio et auctoritate.

De numero Ciceroniano nobis quaerentibus proficiscendum est a testimoniis veterum quamvis debilibus, siquidem habere volumus, in quo possimus insistere. Disseruit hac de re primus Cicero ipse in Oratore cc. 49—71 (nam ex libris de oratored nihil fere novi discimus) latius quam distinctius. Nam cum tanta copia rem exponat, nihil tamen de intestina natura numeri dicit, nullam nobis tradit definitionem, sed ubicunque in naturam numeri sermo incidit, meris utitur ambagibus et locis communibus; itaque plerosque ab his studiis deterruit. Suspicandum est autem eum, quae dicit, non ex suo usu traxisse, sed (ut solet etiam in huiusmodi rebus) plurima a Graecis mutuatum esse, quorum praecepta nonnunquam prave interpretaretur; adeo ea quae affert, conturbata sunt et incondita. Cf. exempli causa hanc, quam vult esse, explicationem (§ 203): „Si (sc. quaeritur), quae res efficiat voluptatem (sc. in numeris), eadem (sc. est) „quae in versibus; quorum modum notat ars, sed aures ipsae „tacito cum indicio sine arte definiunt." Talia homo indoctus praecepta dare solet, qui satis habet, dum aliqua re delectetur animus; docti est, causam, cur delectetur, quaerere. Sunt qui metricam nullam norint, sed tamen versus optime modulatos possint procudere: num igitur ars metrica deserenda est omniaque in aurium tacito iudicio reponenda? Eodem modo Cicero, optimis oratoribus saepe auditis, numeri oratorii leges inscius menti suae mandaverat; aliis eas tradere non potuit, quia primas causas dulcedinis illis allatae non pervestigaverat. Itaque negavit ullam artem in his rebus esse (nam hoc quodammodo facit qui auribus ipsis omnia definiri dicit). Nobis autem, quibus dulcedo numerorum, priusquam auribus eam percipiamus, ratione ac via cognoscenda est, maximo detrimento fuit haec Ciceronis incuria; nam ita factum est ut vir doctissimus Godofredus Hermannus, cum taederet eum multorum illorum et inutilium praeceptorum, in eum errorem induceretur, ut numeros oratorios in accentibus positos esse existimaret.

Multo maioris pretii quam Ciceronis praecepta sunt ea, quae affert, exempla partim ex suis, partim ex aliorum orationibus petita (Orat. §§ 213 sqq; 219; 222—225; 232 sq; de

orat. III 183). In his etsi duas res diversas, numerum et concinnitatem, miscet et conturbat, tamen nonnihil ex iis discimus.

Secutus est Ciceronem Quintilianus (inst. rhet. IX 4), qui quamquam in universum nimis religiose auctorem suum sequitur tamen ex sua experientia pauca addidit, alia correxit.

Ne quis autem veterum dictis nimium tribuat, adiungam quaedam eorum praecepta, quae aperte falsa sunt. Velut Cicero orat. § 218 dicit: „Dochmius autem quovis loco aptus est, dum „semel ponatur; iteratus aut continuatus numerum apertum et „nimis insignem facit.“ Haec, si accurate inspicimus, praecepta sunt duo; aut enim iteraria ut continuari potest dochmius. Iteratur, si duabus in clausulis inter se sequentibus ponitur; continuatur, si uno eodemque loco syllaba nulla intercedente duo ponuntur dochmii. Quamquam suspicor, hoc loco Ciceronem verbo iterandi nihil aliud exprimere voluisse quam verbo continuandi. Horum utrumque fieri Cicero vetat. Utrumque fit. Iteratos quidem dochmios extare multos infra videbimus. Sed etiam continuati non desunt. Cf. II Catil. V 9: libidine audaciaque consumeret; III Phil. VI 16: tuae coniugis, bonae feminae (quo numero nihil potest esse apertius, cum singuli dochmii sint, ut metrici dicunt, ὑπόρρυθμοι, i. e. coincidant fines pedum cum verborum finibus). Nihil igitur relinquitur, nisi ut Ciceronem aut hoc praeceptum ex aliquo Graeco auctore temere exaravisse aut de suo ipsius usu parum accurate dixisse arbitremur. Quam quam inesse aliquid veri etiam in hoc praecepto infra videbimus. Et puto omnino Ciceronis regulas, etiamsi falsae sunt, tamen, dummodo recte eas interpretemur, semper aliquid ad nostram scientiam posse conferre.

Idem Cicero versuum initia extremis (i. e. clausulis) orationis apta esse dicit, versuum extrema initiis orationis; versuum extrema contra in orationis clnusulis poni vetat. Quae regula cum Ciceronianarum orationum usu, ut videbimus, minime convenit. Hoc tantum verum est, frequentissimorum versuum, hexametri et pentametri, exitus evitari solere in clausulis. Sed ne in senarium quidem haec regula quadrat, nedum in versus rariores, e. c. phalaeceos vel hendecasyllabos Sapphicos vel choliambos; immo horum exitus in deliciis habuerunt et Cicero et Graeci (quos quidem noverimus) oratores omnes. Itaque mihi hoc praeceptum inde ortum esse videtur, quod rhetor nescio quis, cum videret hexametri et pentametri exitus orationi non

esse aptos, praepostere omnino versuum clausulas ab orationis clausulis exclusisse videatur. Quodsi quis, ut fecit Wuest, Ciceronis verba ad amussim diriget, totam rem conturbabit.

Non minore incuria Quintilianus in praeceptis dandis utitur. Nam cum trimetri finem vitare iubet, non videt, quam frequens sit Cicero in huius generis clausulis. Apud quem non modo clausula — — — ⏑ —, ut videbimus, est frequentissima, sed etiam clausula — ⏑ — ⏑ —, quae etiam apertius trimetri rhythmum prae se fert, etsi paulo rarior, tamen est in usu. Itaque a neutro horum adoptandum est quidquam, quod non usu Ciceronis comprobetur.

Dionysius Halicarnassensis, etsi de Demosthene nonnulla tradit memoria digna, tamen de Latinorum numero disceptantibus nihil prodest. De posterioribus grammaticis, qui obiter de numero disputaverunt, cf. quae dixit Wuest (l. l. pag. 10). Sunt autem hi plane nobis negligendi, quia non usum consuluerunt, sed Ciceronis praecepta exaraverunt.

§ 2.

Quid a Cicerone et Quintiliano de numero doceatur, exponitur.

Inspicientibus nobis veterum testimonia statim occurrit, in una tantum re eos uberiores esse praeceptis. Fere omnia enim, quae praescribunt, quae quidem accurata et distincte nec nimis in universum dicta sint, ad clausulam pertinent. Itaque aequum est ab hac ordiri, ut, in quo insistere possimus, habeamus.

Clausulas singulas Quintilianus, postquam praefatus est aliqua nimis generalia de formatione clausularum, quae nobis nihil prosunt, inde a IX 4, 95 enumerat; quem locum omissis inanibus exarabo.

„95. Potest tamen vel unus esse dichoreus; . . . . . 96. item-
„que paean, qui est ex choreo et pyrrhichio, quem aptum ini-
„tiis putant, vel contra, qui est e tribus brevibus et longa, cui
„clausulam assignant; de quibus fere duobus scriptores huius
„artis loquuntur . . . . . 97. Est et dochmius, ... stabilis
„in clausulis et severus. Spondeus quoque, quo plurimum est
„Demosthenes usus, non eodem modo semper se habet; optime

„praecedet eum creticus, ut in hoc: ‚de qua ego nihil dico nisi „depellendi criminis causa‘ . . . . . 98. . . Potest, etiamsi mi„nus bene, praeponi anapaestos; ‚muliere non solum nobili, ve„rum etiam nota‘. 99. Cum anapaestos, et creticus [hoc iam „supra dixit auctor], iambus quoque . . . . . Sed et spondeus „iambo recte praeponitur: ‚armis fui‘ . . . . Ex iis quae supra „probavi, apparet molosson quoque clausulis convenire, dum ha„beat ex quocumque pede ante se brevem: ‚illud scimus, ubi„cunque sunt, esse pro nobis‘. [Etiam hanc clausulam iam enu„meravit § 97]. 101. Minus gravis erit spondeus praecedenti„bus [cretico] et pyrrhichio, ut ‚iudici Juniani‘, et adhuc peius „priore paeane ut: ‚Brute dubitavi‘ . . . . Duo spondei non „fere se iungi patiuntur, quae in versu quoque notabilis clau„sula est, nisi cum id fieri potest ex tribus quasi membris: ‚cur „de perfugis nostris copias comparat is contra nos?‘: una syllaba, „duabus, una . . . . 102. . . . Bacchius et claudit et sibi iun„gitur: ‚venenum timeres‘, vel choreum et spondeum ante se „amat: ‚ut venemum timeres‘. Contrarius quoque qui est, clu„det, nisi si ultimam syllabam longam esse volumus, optimeque „habebit ante se molosson: ‚civis Romanus sum‘, aut bacchium: „ ‚quod hic potest, nos possemus. 103. Sed verius erit claudere „choreum praecedente spondeo, nam hic potius est numerus: „ ‚nos possemus‘, et: ‚Romanus sum‘. Claudit et dichoreus [de „hoc cf. § 95], quo Asiani usi sunt plurimum, cuius exemplum „Cicero ponit: ‚patris dictum sapiens temeritas filii comproba„vit.‘ 104. Accipiet ante se choreus et pyrrhichium: omnis „prope cives virtute, gloria, dignitate superabat.‘ [Contra §. 101 „improbatur clausula, Brute dubitavi‘]. Cludet et dactylus, nisi „eum observatio ultimae creticum facit: ‚muliercula nixus in li„tore‘. Habebit ante se creticum et iambum [Jntellege: vel „iambum.], spondeum male, peius choreum. Cludit amphi„brachys: ‚Q. Ligarium in Africa fuisse‘, si non eum malumus „esse bacchium. Non optimus est trochaeus (i. e. tribrachys) . . . „107. Creticus et initiis optimus et clausulis: ‚in conspectu po„puli Romani vomere postridie [cf. §. 97]. Apparet vero, quam „bene eum praecedant vel anapaestus vel ille, qui videtur fini „apsior, paean. Sic melius quam choreo praecedente: ‚quis non „turpe duceret‘.“

Has clausulas si in genera disponimus, habemus hasce:

1) ⏑ – – ⏑ –. 2) – – ⏑ –. 3) ⏑ ⏑ – – ⏑ –.
4) ⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ –. 5) – ⏑ – ⏑ –. 6) – ⏑ –.
7) – ⏑ – – ⏑ ⏑. 8) ⏑ – – ⏑ ⏑. 9) – ⏑ – ⏑ ⏑.
10) – – – ⏑ ⏑. 11) – ⏑ ⏑.
12) – ⏑ ⏑ ⏑.
13) ⏑ ⏑ ⏑ –.
14) – ⏑ – ⏑. 15) ⏑ ⏑ – ⏑. 16) ⏑ – ⏑.
17) – ⏑ – ⏑ ⏑ – –. 18) – ⏑ ⏑ ⏑ – –. 19) ⏑ – ⊥.
20) ⏑ – – ⏑ – –. 21) – ⏑ – – ⏑ – –.
22) ⏑ ⏑ – – –. 23) ⏑ – – –.
24) – – – ⏑. 25) –, – –, –.

Horrendum sane numerum, praesertim cum Quintilianus adiungat (§ 109): „Nec ego, cum praecedentes pedes posui, legem dedi, ne alii essent.“ Quis igitur poterit non numerose dicere? Sed si accuratius inquirimus, inveniemus numerum legitimarum clausularum multo minorem esse quam primo obtutu appareat.

Primum multas Quintilianus ipse improbat vel alias iis praeferendas esse dicit. Deinde de nonnullis dubitat, an ab aliis non differant. Pendet hoc ex illa quaestione, utrum ultimae breves pro longis habendae sint necne. Quod Cicero affirmat (orat. § 217), Quintilianus negat (IX 4, 93). Quintilianus, cum paulo fusius hac de re disserat, aliquid dicere videtur. Tamen usu Ciceronis adducor, ut huius comprobem sententiam. Idem Wuestio videtur, qui in hanc rem studiosius inquisivit (pagg. 15—18). Vides igitur multas Quintiliani clausulas nobis non esse numerandos.

Porro auxilio nobis venit lex quaedam Ciceronis, et illa quidem, ut videtur, ex peritia ipsius petita (orat. 215). Dicit enim: „Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non dico de „uno pede extremo. Adiungo, quod minimum sit, proximum „superiorem, saepe etiam tertium.“ Ex quo apparet, formas 6), 11), 12), 13), 16), 17), 19) clausulas per se esse non posse.

Deinde nonnullae formae ita conformatae sunt, ut ex pluribus unam tantum respicere opus sit. Hoc ex generibus, quae constituimus, fit satis clarum.

Transeamus num ad Ciceronis exempla. Hic narrat (orat. 213 sq.) C. Carbonem aliquando unam sententiam hac clausula terminavisse: persolutas; proximam hac: comprobavit; hoc dichoreo tantum clamorem contionis excitatum esse, ut admira-

bile esset. Addit Cicero: „Quaero, nonne id numerus effecerit. „Verborum ordinem immutata, fac sic: ‚comprobavit fili teme- „ritas', iam nihil erit, etsi ‚temeritas' ex tribus brevibus et longa „est, quem Aristoteles ut optimum probat, a quo dissentio." Apparet igitur ex hoc exemplo, Ciceroni ditrochaeum valde placuisse, paeanem minus.

Sed etiam aliae clausulae probantur. Orat, 232 Cicero laudat hanc: mercatoresque superarunt. Habemus paeanem cum spondeo, quam clausulam Quintilianus (IX, 4, 101) improbat. Sequitur exemplum: ‚Aegyptoque vicerunt': creticus cum spondeo, clausula laudata a Quintiliano (IX, 4, 97). Contra vituperatur: ‚Aegyptoque', quae clausula et ipsa Quintiliano probatur, qui affert exempla: ‚Romanus sum' et ‚nos possemus' (IX, 4, 102). Tertia periodus a Cicerone allata rursus habet: ‚potuisse superari', paeanem cum spondeo; vituperatur clausula: ‚Syro aut Deliaco': choriambus praecedente iambo. Denique Cicero orat. 233 vituperat Gracchi clausulam: ‚improbos probet'; aptiorem esse hanc: ‚improbare'. Ne Quintiliano quidem clausula illa: ‚turpe duceret', laudabilis videtur.

Cum his exemplis praecepta, quae Cicero ipse dat, fere consentiunt. (In unum collegit illa Wuest pp. 95—102). Sed ex duabus causis illa praecepta laborant, primum quod Cicero, quae recte sensit, nonnunquam parum accurate expressit, deinde quod de nonnullis rebus vel gravissimis ne verbum quidem dixit. Id quod proxima paragrapho statim declarabitur.

§ 3.
Ciceronis usus consulitur.

Necesse mihi visum est, non unius tantum orationis clausulas enotare, sed plurium. Itaque pervestigavi orationes habitas: 1) pro imperio Cn. Pompei, 2) in Catilinam primam, 3) in Catilinam alteram, 4) pro Sulla, 5) cum senatui gratias egit 6) cum populo gratias egit.[1]) Secutus autem sum in clausularum enumerationibus editionem Orellianam, atque ita quidem, ut tantum maiores clausulas, quae in illa maiore signo inter-

1) Consulto duas orationes elegi, quas nonnulli spurias esse contendunt. Sperabam enim, his quaestionibus fortasse aliquid contribui posse ad illam rem diiudicandam.

punctionis (.) vel littera maiuscula distinctae essent, enotarem. Quamquam enim nulli editori me quasi addicturus sum, tamen in initio cautius putavi me ita facere, ne quis me nimiae licentiae incusaret, si ipse, ubi esset maiore signo interpungendum, ubi minore, destinare vellem. Praeterea cum editor hoc munus laudabili cum diligentia et iudicio administraverit, puto fore, ut vel ex his ipsis tabulis cuivis res perspicua fiat.

Habemus igitur in illis, quas dixi, orationibus has clausulas.

I. Pro imperio Cn. Pompei.

I	1.	susceptae prohibuerunt	A I
		transmittendum putavi	C
	2.	consecutus	C
		praescriberetis	C
		esse duxerunt	A
	3.	invenire	C
		dicendo quaerendus est	B I
II	4.	arbitrantur	C
	5.	praeterea neminem	B
	6.	considerate	C
		esse dicendum	A
		consulendum	C
III	7.	luce versari	A
	8.	victoriam reportarent	A
		superatusque regnaret	A
		Sulla revocavit	A I
IV	9.	dimicaretis	A
	10.	esse videantur	A I
	11.	suscipiendum putetis	C
V		esse debetis	A
		excruciatum necavit	C
		interfectum relinquetis	A
	12.	conservare non posse	A
		ferre debetis	A
		arbitrantur	C
	13.	ac retardatos	A
		commoratur	C
VI	14.	vectigalibus agatur	A I
		antecellat	C
		defendenda	D
	15.	affert calamitatem	A I
		conquiescit	C
		terrore amittitur	B I
	16.	arbitrentur	C
		liberatos	C
VII	17.	diligenter	C
		esse debent	C
		esse dicemus	A
	18.	collocatas habent	B
		esse non posse	A
		propter timorem	C
	19.	concidisse	C
		trahant calamitatem	A I
		motu concidant	B I

defendantur D
VIII 20. pertimescendum A
esse videantur A I
21. esse gesta C
esse laudatum A
IX 22. esse bellum C
quaeri videtur C
prosequendi retardaret A
omnem reliquit C
manibus effugit A II
laetitia tardavit A II
23. concitatae sunt A
exercitum adductum A
concitabantur A
commovebatur A
24. quaereretur C
nationum iuvabatur A
esse videatur A I
25. ausus optare A
impetum fecit A
rumor afferret A
26. Glabrioni tradidit B I
exercitu pulso A
esse videatur A I
X 27. praeficiendum putaretis A
dubium facere possit A I
28. felicitatem C
erudita C
rei publicae B
scientiam fugere possit A I
XI 29. possit afferre A
30. non fuerunt C
31. atque portus C
ut lateret C
navigaret C
confici posse A
32. esse, sociorum A I
longinqua commemoro —
tecta defendere B
summa transmiserint B I
potestatem pervenerint B I
33. potestate sciatis (de hac clausula cf. infra) —
esse direptum A
esse sublatos A
atque oppressa est D
audiatis C
34. praetereunda non sunt C
classibusque munivit A
35. dediderunt C
imperavit C
aestate confecit A
XIII 36. quam multae sunt D
comitesque virtutis A
consideremus C
intellegi possunt A
37. quaestu reliquerit E
confiteri C
ferant quis ignorat A
38. existimetis C
esse deletas A
iudices non vult A

	39.	nocuisse dicatur	A
		esse voluerunt	A I
XIV	40.	considerate	C
		inventum putatis	C
		existimavit	C
	41.	maluisse	C
		esse videatur	A I
	42.	cognovistis	D
		iudicarunt	C
		victi dilexerint	B I
		esse videatur	A I
XIV	43.	plurimum possit	A
		commoveri	C
		iudicia fecistis	A II
	44.	depoposcit	C
		efficere potuisset	—
	45.	attulisset	C
		Asiae retardavit	A
		rumore defenderit	B
XVI	46.	velle dixerunt	A
		maluerunt	C
		existimetis	C
	47.	pauca dicamus	A
		esse commissos	A
		adiuncta fortuna	A
		esse videatur	A I
	48.	detulerunt	C
		optare debetis	A
	49.	conferatis	C
XVII	50.	committamus	D
	51.	summa esse omnia	B I
	52.	ait Hortensius	B
		non oportere	A
		verbis refutata	A
		verba fecisti	A
	53.	imperium teneremus	A
		obire possemus	A
XVIII	54.	ipsa defenderet	B
	55.	ornatum reliquisset	A
XIX	56.	obtemperare	C
		imperare	C
	57.	postulanti	C
		constitutus	C
	58.	esse deberet	A
		senatum relaturos	A
		considerabunt	C
		susceptumque confecit	A
XX	59.	esse videatur	A I
		esse dixistis	A
		conficere possit	A I
		atque virtute	A
	60.	instituta maiorum	A
		recordamini	B
XXI	61.	suo gerere? gessit	A I
		administrandum	A
		deportavit	D
		Romano triumphare	A
		concelebrandum putavit	C
	62.	mitteretur? missus est	B I
		consulibus mittere	B
		uno homine videmus (v. l.: „vidimus“, quod probo)	—
	63.	auctoritate	C
XXII		praeponeretis	C
	64.	esse fateantur	A I

multae requirentur A
laude cogitet E
arbritratur C
65. et iniurias B
inferatur C
66. querimonias audiant B
atque amicos C
spiritus capere possit A I
XXIII regiumque mittatur A
67. esse videatur A I
continentiam requisivit A
turpitudine videremus A II
esse videamus A I
68. venisse gaudeant E
singulari C
posse videamur A I
XXIV 69. pertimescas C
facultate dubitemus A I
70. consequemur C
suscepisse D
praeferre oportere A

II. Pro Sulla.

I 1. misericordem faterentur A
2. offici mei E
Sullae probaturum A
3. iure secernas A
reprendatur meum B I
esse videatur A I
coniurationem C
II 4. fecisset occultum A
Hortensio quam mihi B
innocentiam vides E
auctoritate defendunt A
5. ascendissem D
unum fuisse C
6. defendisset D
societatem diremisset A
affuit? Nemo A
suspicere C
7. plerique laeserunt A
illustrarique deberet A
III afuisse C
crudelitate praeditum E
8. vehementer erras C
esse voluit —
ipsa detraxit A
lenitatemque desiderat B
9. omnium causa A
causa communis A
esse commune A
bonis omnibus B
10. Sullam defendis D
esse Autronium B I
non coegisset A
IV 11. dicis fuisse C
abstrahebat C

	12.	commovebatur	A	
		quam facultatis	A	
		fama pervenit	A	
	13.	deterritos esse	A	
		existimare potuisset	A I	
V	14.	primum attendite	B I	
		nulla suspicio	B	
		esse diceret	E	
		Sullam defendere	B I	
	15.	auxilium requisivit	A	
		modestia retinuisset	A I	
	16.	libidinis audaciae	B	
		coniungeretur	C	
	17.	nominavit	C	
		accommodatus	C	
VI	18.	utroque praebui	E	
		proferebat officia	—	
		obliviscerer	B I	
	19.	scirem defendere	B I	
	20.	nulla suspicio	B	
		crudellem dicerent	B I	
VII	21.	Torquate, regnum	C	
		regnare dicis	C	
		absolutum iri	A	
		dicas probare	C	
		expectare	D	
	22.	causa profugisset	A	
		calamitosos non deserit	B I	
		esse dixisti	A	
		esse dixeris	E	
		fuisse peregrinum	A I	
	23.	imperioque missa est	C	
		esse videantur	A I	
		obiecit unquam	C	
		conveniret	C	
VIII		anteiri putant	B I	
	24.	obruare	C	
		honore superari	A I	
	25.	vitium sileretur	A	
		Asculani	C	
		anteponere	E	
		derideare	C	
		multis obsistere	B I	
		contumeliamque maledicti	A I	
IX	26.	non concederet	B I	
		quieto frui	B	
		inveniri nemo potest	B I	
	27.	attulerunt	C	
		periculum redundarit	A	
	28.	verser intellego	B	
		posse delere	A	
		potui nec tollere	B I	
		bellum susceptum	D	
X	29.	arbitrantur	C	
	30.	immoderatione verborum	A	
		voce dicebat	A	
	31.	causa postulet	E	
		mortemque lugere	A	
		vehementer admiror	A	

	32.	communi gesserunt	D
XI		esse vellet	C
		necaretur necavit	C
	33.	consulatus mei	B
		dicentem attendite	B I
		poena redemi	C
	34.	contione dixissem	A
XII		virtute superaret	A I
	35.	deficere patientur	—
		est ab illo	C
		flagitavisset	A
XIII	36.	esse dicis	C
		nominatus sit	A
		Cassius ? Nusquam	A
		Sulla sentiret	A
		eadem voluntate	A
		esse debere	A
		suspicari videretur	A
	37.	una facere Sullam	A I
		interrogatum	C
		non fuisse	C
		nominavisset	A
	38.	venire potuisse	A I
		nescire certum	C
		purgat, inquit	C
		criminosum videretur	A
	39.	sublevat apud Gallos	A II
		nescit videlicet	E
		esse constabat	A
		nescire dixit	C
		scire dixisset	A
		debet videri	C
		esse in indicio	—
XIV	40.	rettulisse	C
		praetulistis	C
	41.	invenire	C
		responsa perscriberent	B
	42.	Appium Claudium	B
		defuisse	C
XV		imperavi	C
		neminem volui	—
	43.	indicium pervenerit	B I
		crudelis putaretur	A
	44.	expostulasti	C
		esse fateare	A I
XVI	45.	consule putarem	A I
		posse superari	A
	46.	tribuo parenti	C
		dignitatis	C
		ac perfregerim	B I
		posse su perare	A I
	47.	atque concessum	A
		congredi debeam	B
		gratiam videar	—
XVII	48.	intellegere possum	A I
		accuso meum	B I
		quaestione defendere	B
		cogitavit	C
		quia coactus sum	A II
		quia creditum est	—
		defendere quem velis	—

		humanitatis	C
	49.	et laudarent	D
		impediremur	A
		cuiusque faciebant	A I
XVIII	50.	vestrae repugno	C
		te delata sunt	B I
		defendo et protego	B I
		et irasceris	B
		quidem factum tuum	B I
		esse potuisse	A I
	51.	indicaret	C
		fili susceperit	B I
		puerum Cornelius	B I
		conatum repressi	C
	52,	aspirasse Sullam	C
		criminis reperiuntur	A I
		denuntiatione convenit	A
		acerbissima	B
		lectulo trucidaret	A
XIX	53.	nihil vero minus	B I
		suspicione caruit	—
	54.	mandata defertis	A
		ac tumultum	C
		deberi videmus	C
		munus praebere	D
		satis facere posset	A I
		muneris abesset	A I
		appropinquaret	A
		comparata	C
	55.	tota res gesta est	A
		praefuit familiae	—
		ad rem pertinet	B I
		administrata est	A
XX	56.	perturbaret	D
		rege contracta	A
		deminutis	C
	57.	ultimas terras	A
		turbatum esset	D
		coniunctione agebantur	A
		arbitrabatur	A
		se dimitteret	B I
	58.	creditorum suorum	C
	59.	tempestate versarer	A
		posse diceres	E
		vindicavit	C
XXI	60.	intellegere non possum	A II
		minima suspicio	B
		Pompeianos habere	C
		esse defensor	A
	61.	conservarique cupiunt	—
		salute sentirent	A
	62.	constituisse videatur	A I
XXII		comparabatur	A
		auctoritate deductus	A
	63.	communem relinquat	C
		constituta	C
		corrigebatur	A
		quae levabatur	A
	64.	mitigandam putavit	C

XXIII		plura disputem	E
		humanitate communi	A
	65.	in senatu	C
		nolle ferri	C
		cogitarit	C
	66.	afferebant	C
		permanere	C
XXIV	67.	coniuratione	C
		facere potuisse	—
	68.	comparasse	C
		persona suscipit	B I
	69.	moribus dicam	A
		mentesque convertere	B
XXV		ponderandam	C
		natura converti	A
	70.	sceleri fuerunt	C
		coniuravit	D
		caede versatum	A
		natum putaverunt	A
		sperasse miretur	A
		esse videatur	A I
	71.	natura convicit	A
		ipsi succumbere	B I
		vita convinceret	B
XXVI	72.	vestros proponite	B I
		consideratum videretur	A
		posset offendi	A
		fecit ipsi	C
		inchoata compareant	B
		eripuit hora	A I
		gravior quam in ceteris	B I
	74.	lucemque vitare	A
		paene multavit	A
XXVII		fuissse creditis	E
		recognoscite	B
	75.	proposita degeret	B
		ista suspicio	B
		sceleris exarsit	A I
	76.	extiterunt	C
		scelerum reperietis	A I
		stare potuisse	A I
		incitaverunt	A
		transferetis	C
XXVIII	77.	adiuvabit	C
	78.	loci relinquatur	A
		num quae audacia	B I
		audietur	C
	79.	arbitramur	C
		vestra moveat	—
		esse testem	C
		suspicione	C
		fingique non posse	A
XXIX	80.	tandem iuvabit	C
		dignitatem	C
	81.	dignitatias auferre	A
		illumque laudarunt	A
		insequebantur	A
		aliquando amico	C
		adessent ceteri	B I
		esse gravior	—
		affuerunt reprendantur	A
	82.	affuerunt	C
		ferri oportere	A
		est res publica	B I
		constantissime sentit	A

		conservandam	D
XXX	83.	vitamque defendere	B
		semper oderis	E
		esse videantur	A I
	84.	iudicetur	C
		ac remitto	C
		invidique patiantur	A I
	85.	coniurasset	D
		arbitrarer	C
		esse delatam	A
XXXI	86.	defendi ac tegi	B I
		sum, nihil audivi	—
	87.	qui lenissimus	B I
		quam necesse fuit	—
		illa suscepta	A
		voluntate deducor	A
	88.	digna multa	C
		turpitudinis inuratur	A II
		perfrui possit	A
		pristinum recuperabat	A I
		occiderunt	C
		dedecoris relinquat	C
	89.	disciplinarum	A
		eiciatur laboramus	A
		vita videatur	A I
XXXII		obtestatur	D
	90.	deduxerunt	D
		expetas amplius	B
		dolore retinetur	A I
		foedissime criminis	B
		audiendo	C
	91.	dignitatis	C
		relictus esset	C
		luctu perire	C
XXXIII	92.	plura dicam	C
		totam repono	C
		constituti	C
		mitigate	C
	93.	devenire convenerit	B
		famam repellamus	A

III. In Catilinam oratio prima.

I	1.	arbitraris	C
	2.	hic tamen vivit	A
		quemque nostrum	C
		tela vitemus	A
		machinaris	C
	3.	perferemus	C
		manu sua occidit	A
		hostem coercerent	A
		consules desumus	B
II	4.	consularis	C
		permissa respublica	B
		poena remorata est	A I
		auctoritatis	C
		Catilina convenit	E
		confirmandam audaciam	B I

		nequitiaeque condemno	A
	5.	molientem	C
		esse dicat	C
		adducor ut faciam	—
		esse fateatur	A I
	6.	publicam possis	A
		atque custodient	B
III		erumpunt omnia	B I
		incendiorum	C
		licet recognoscas	A
	7.	administrum tuae	B
		admirandum, dies	B I
		causa profugerunt	A
		esse dicebas	A
	8.	esse munitam	A
		planeque sententiam	E
IV		rei publicae	B
		sceleris que socios	—
		convincam si negas	B I
		una fuerunt	C
	9.	publicam habemus	—
		exitio cogitent	B
		voce vulnero	E
		morae quod ego viverem	—
		pollicerentur	A
	10.	esse praedixeram	B
V		proficiscere	—
		castra desiderant	B
		purga urbem	—
		murus intersit	A
		patiar, non sinam	B
	21.	totiens iam effugimus	B I
		rei publicae	B
		diligentia defendi	D
		esse coniunctam	A
	12.	vastitatem vocas	B
		salutem utilius	—
		rei publicae	B
	13.	consul hostem	C
VI		consulis suadeo	B
		qui non oderit	B I
		praetulisti	C
	14.	esse videatur	A I
		salutemque pertinent	E
	15.	obstitisse	C
		corpore effugi	A
		velle desistis	A
	16.	corpore defigere	B
VII		ista vita	C
		nulla debetur	A
		in senatum	C
		necessariis salutavit	A
		taciturnitatis oppressus	A
		ferendum putas	B
	17.	praesentiamque vitare	A
		cogitare	C
		pertimesces	C
	18.	perfringendasque valuisti	A I

		est ferendum	C
		timere desiuam	E
VIII	19.	adhibere non possit	A
		asservarem rogasti	C
		indicarit	C
	20.	solitudinique mandare	A
		esse dicis	C
		proficiscere	—
		de te sentiant	B I
		proficiscere	—
		horum silentium	E
		patiuntur, tacent	B
	21.	intulisset	O
		exaudire potuisti	A I
		prosequantur	C
IX	22.	exsilium cogites	B
		posteritatem impendeat	B I
		seiungatur	D
		postulandum	C
		furore revocarit	A I
		sustinebo	C
		esse videaris	A I
	24.	esse praemissam	A
		transtulisti	C
X	25.	furiosa rapiebat	A I
		incredibilem voluptatem	A
		fortuna servavit	A
		concupisti	C
		improborum manum	B
	26.	quemquam neque videbis	A I
		otiosorum	A
		confectum senties	B I
	27.	nominaretur	A
XI		mentibusque mandate	A
		imperabis	C
	28.	multaverunt	D
		iura tenuerunt	A I
		tuorum negligis	B I
	29.	conflagraturum	A
XII		respondebo	D
		non dedissem	C
		posteritatem redundaret	A
		individiam putarem	C
	30.	esse dicerent	E
		non fateatur	—
XIII	31.	malorum omnium	B
		tempus erupit	A
		rei publicae	B
		ingravescet	C
	32.	publica sentiat	B
		esse videatis	A I
	33.	ac nefarium	E
		mortuosque mactabis	A

IV. In Catilinam oratio altera.

I	1.	prosecuti sumus	B
		evasit erupit	A
		comparabitur	E
		controversia vicimus	B
		pertimescemus	A
		urbe depulsus	A

		bellum geremus	C
		latrocinium coniecimus	B I
	2.	profligatum putatis	C
		forasque proiecerit	B
II	3.	culpa, ted temporum	B
		postulabat	C
		improbitatem faverent	C
		sustulissem	C
	4.	aperte videretis	A
		comitatus exierit	—
		eduxisset	D
		valentis, quam nobiles	B I
III	5.	ostendero concident	B
		pertimescendos	A
		permoventur	C
	6.	depoposcerit	E
		hi quid expectant	A
		sperant futuram	C
IV		sentire non putet	E
		consequentur	C
	7.	urbis ciccerit	B
		publica videtur	A I
		non per illum	C
	8.	pollicebatur	A
		hominum collegerat	B I
		foedus asciverit	B
V	9.	fuisse commemoret	—
		audaciaque consumeret	B
	10.	consulatus mei	B
		libido permanet	B I
		urbis incendia	B
	11.	appropinquare	A
		rei publicae	B
		intus est hostis	A
		scelere certandum est	A II
		civitatis manere	C
		merentur expectent	A
VI	12.	esse Catilinam	A I
		iussus est, paruit	B
		fuisset necne	D
	13.	descripta edocui	—
		esse permissam	A
	14.	bellum videbam	C
		castra conferet	E
VII		rei publicae	B
		existimari velint	B
	15.	depellatur	D
		eat in exsilium	—
		est iturus	C
		quod eiecerim	B
		esset quid dicerent	B I
	16.	quam verentur	C
		ire malit	C
		exsulem vivere	B
		quam queramur	C
VIII	17.	volent, intellego	B I
		quam potero afferam	—
	18.	nullo modo possunt	A
		impudentissima	B
		acquirere ad fidem	E

futuras putas B
esse possunt C
uteremur C
arma laturi A
IX 19. arbitrantur C
esse laturos A
sperant futuros C
sit necesse C
20. Catilina succedit A
insolentiusque iactarunt A
impulerunt C
cogitare C
esse videantur A I
X 21. conferre dicuntur A
lentos esse arbitror B I
proximi sentiant B
arbitrentur C
22. capere non possit A II
cenis expromitur B I
23. impudicique versantur A
Catilinarum futurum C

saltare didicerunt A I
XI 24. cohortem praetoriam B I
robur educite B
tumulis silvestribus B I
conferre debes E
25. intellegere possumus —
desperatione confligit A
vitia superari —
XII 26. atque provisum est A
continebuntur A
conatusque prohibebit A I
vocari videtis C
27. atque etiam volo —
latebat erumperet B
esse moriendum A I
esse voluerunt A I
XIII 28. sceleris sufferat B
esse possitis A
tecta defendunt A
selere defendant A II

V. Oratio cum senatui gratias egit.

I 1. tribuendum putetis C
reddidistis C
2. reciperarimus A II
II 3. adepti videmur C
salutis meae B
flagitavistis A
4. saepenumero referrent C
non revertissem A
salute coniungere B

III 5. patriam revertisset A
6. existimare potuisset A I
intercludendum putaverunt A
civitatem videbatis A
7. confectumque vidistis A
salute depellerent B

IV 8. dignam dicere B I
esset ereptus A
auctoritatemque sanciret A
9. concidissem C
consul esset C
manere potuisset A I
ascriptoremque videatis A I
10. esse voluerunt A I
V 11. praedoque versatus est B
esse voluerunt A I
12. preces repudiavit A I
lugeretis ediceret B
VI 13. displicere C
diu cessavit D
liberalitatis C
non putares C
14. venalium diceres B
voluptatibus B
verbo voluptatis A
delectationemque versari A
15. esse videatur A I
detulisset C
VII 16. consilia pestis meae B
non liceret C
foedere addiceres B
subvenire C
17. paruerunt C
demonstrabas fuisse C
et gemitus urbis A I
18. solvebantur D
donabantur D
VIII sublevati C
19. postulavit C
civitati C
20. socius videretur A
21. fuerit in causa A II
oblitteraverunt A
defuerunt C
promulgavit D
22. vestra revocavit A I
IX potestatem non fecerit B I
declaravit D
23. constiterunt C
commissa praetereo —
dignitate consoler A
24. relictum putarem C
etiam honestaret A II
X 25. excitaret C
noluisse C
non veniret C
convocavit C
intellegere potuistis —
quidem visus est B
26. dignitatis meae B
excitandos putaret C
posset audire A
XI 27. redire iussistis A
convenirent C
29. sententiam ferre A
custodesque vidistis A
aurato reportati A
elaborarit A
XII 30. salutis meae B
vulneribus ostendit A II
agam gratias B

nullo modo
possum A
praeterire C
numero colere
debeo —
atque recolenda A I
31. reddidistis C
defendistis D
deprecatione nu-
darunt A
32. ipse reputavi A I
XIII demolitione
sublati A
obligarat C
inimicus scio B
33. caedis putabatur A
curamque mi-
nuerunt A I
incognitus defuit B
posteritati reser-
vari A
XIV 34. fore videbatur A II
dolore multassem A
pariter repor-
tarit A
afuerunt C
esse redeundum A I
35. collocavit C
in parentis C
36. etiam adaugebo A II
plurimum debeo B
esse videatis A I
discrimen voca-
retur A
37. usurpari coegit C
tela pertimuit —
38. salute neglexit A
caedemque fu-
gisset A
paene delevit A
extiterunt C
nunquam ami-
serim B I

VI. Cum populo gratias egit.

I 1. laetor Quirites C
2. voluptate caruis-
sem A I
restituti C
3. reddidistis C
afferebant C
quam ferendi C
4. obscurata non
essent A
vestra maiestas A
ut nemo magis B I
percepta delec-
tant A
II 5. consequi posset A
reddidistes C
iudicaverunt A
reddidistis C
muneribus care-
remus A
debeamus C
6. auxisse videa-
mini —
III supplicaverunt A
movere potue-
runt A I
7. dissimilis fuit
ratio —
armisque revo-
cavit A I
deprecatae sunt A
8. esse seiunctum A
sordesque vidistis A

semper fuit, frater A
continebantur A
reddidistis C
IV 9. copiaque superarem A I
mentio facta est A
10. arma valuerunt A I
auctoritate perfecit A
cuncta revocavit A I
amandatus esset C
V 11. est cohortatus A
pertulerunt C
indicavit C
12. mercede consumpta est A
deferebantur A
13. inimicos meos B
publicae fore putavi A I
14. intercludendum putaverunt A
VI restituendam putaretis A
nullam putavi C
ipsa reduceret —
15. salutem reduceret E
extiterunt C
commendavit D
16. laudatores fuerunt C
dignitatem C
obsecravit C
17. collocaratis, reposuistis A I
esse constaret A
sententiam ceteri B
VII 18. interituram fuisse C
19. vehementer errat C
permanebit C
atque renovato A I
20. perdidisset C
pace atque otio B I
21. cogitabo C
IX 22. crudelitatemque persequar E
referre quod debeat B
23. definire D
appelletur necesse est C
permanebunt C
defuturam C
indicavit C

Habemus igitur:

I. in oratione pro imperio:

clausulam — ⏑ — — — sexagies ter
" — ⏑ ⏑ ⏑ — — vicies quinquies
" ⏑ ⏑ ⏑ — — — quater
" ⏑ — — ⏑ — undecies
" — — — ⏑ — novies
" — ⏑ — — sexagies ter
" — — — — octies
" — ⏑ — ⏑ — ter

alias clausulas quater.

II. in oratione pro Sulla:

clausulam	— ⏑ — — —	undenonagies
„	— ⏑ ⏑ ⏑ — —	tricies
„	⏑ ⏑ ⏑ — — —	quinquies
„	⏑ — — ⏑ —	vicies sexies
„	— — — ⏑ —	tricies ter
„	— ⏑ — —	nonagies semel
„	— — — —	decies quinquies
„	— ⏑ — ⏑ —	decies ter

alias clausulas decies sexies.

III. in Catilinaria prima:

clausulam	— ⏑ — — —	tricies
„	— ⏑ ⏑ ⏑ — —	undecies
„	⏑ — — ⏑ —	vicies semel
„	— — — ⏑ —	duodecies
„	— ⏑ — —	tricies
„	— — — —	quater
„	— ⏑ — ⏑ —	octies

alias clausulas decies.

IV. in Catilinaria altera:

clausulam	— ⏑ — — —	vicies bis
„	— ⏑ ⏑ ⏑ — —	septies
„	⏑ ⏑ ⏑ — — —	ter
„	⏑ — — ⏑ —	vicies bis
„	— — — ⏑ —	decies
„	— ⏑ — —	vicies quinquies
„	— — — —	ter
„	— ⏑ — ⏑ —	septies

alias clausulas octies.

V. cum senatui gratias egit:

clausulam	— ⏑ — — —	tricies semel
„	— ⏑ ⏑ ⏑ — —	decies quater
„	⏑ ⏑ ⏑ — — —	sexies
„	⏑ — — ⏑ —	decies sexies
„	— — — ⏑ —	ter
„	— ⏑ — —	tricies quater
„	— — — —	sexies

alias clausulas quater.

VI. cum populo gratias egit:

clausulam	— ⏑ — — —	vicies
„	— ⏑ ⏑ ⏑ — —	decies
„	⏑ — — ⏑ —	ter
„	— — — ⏑ —	bis
„	— ⏑ — —	vicies sexies
„	— — — —	bis
„	— ⏑ — ⏑ —	bis

alias clausulas ter.

Itaque apparet minime eam varietatem esse clausularum, quam Wuestii tabulae exhibent (nam ille vir doctus cum nimis longas clausulas enotaret, id quod est inter diversa genera commune, neglexit), sed paucas quasdam clausulas (quas iam brevitatis causa litteris A, B, C, D, E insignire liceat) fere omnes apud Ciceronem locos occupare.

Puto fore, qui omnes has non ratione quaesitas, sed sua sponte secutas esse arbitrentur. Neque ignoro, has ipsas, quas invenimus, iustas clausulas saepissime sponte occurrere. Sed primum aliae quoque, ut — ⏑ ⏑ —, — ⏑ ⏑ — — —, — ⏑ ⏑ — —, non minus saepe se offerunt; quas vitare non mediocris est artis. Deinde illi velim oculos convertant in tabulas nostras: iam invenient in aliis orationibus alias clausulas potissimum locum obtinere. Atqui hoc certe casu non fit, ut clausulae BBI in Catilinariis sint frequentissimae, in oratione cum populo gratias egit, fere nullae compareant. Accedit quod Ciceronis praecepta, etsi cum clausulis a nobis inventis non plane congruunt (id quod non est expectandum propter naturam illorum praeceptorum parum accuratorum), tamen iis non obloquuntur. Probantur a Cicerone ditrocheus, dochmius, creticus, dispondeus; atque hic quidem ita probatur, ut alii dicantur ei praeferendi; cum his regulis usus optime convenit. Clausula E excludi videtur; quae etsi non abest ab orationibus, tamen nou ita frequens est. De forma BI omnino tacetur. De paeane quarto, quem Cicero quamvis raro admittendum censet, cf. infra.

Quodsi quis testimonium quoque diligentiae a Cicerone adhibitae desiderat, is inspiciat Gellium; qui dicit N. A. I, 7, 20, ubi de Ciceronis numeris pauca disserit: „sicuti est hercle, quod „‚explicavit‘ dicere maluit quam ‚explicuit‘, quod esse iam usi„tatius coeperat. Verba sunt haec ipsius ex oratione, quam de

„imperio Cn. Pompei habuit: ‚Testis est Sicilia, quam multis „undique cinctam periculis, non terrore belli, sed consilii celeri- „tate explicavit.‘ At si ‚explicuit‘ diceret, imperfecto et debili „numero verborum sonus clauderet.“

Quo autem iure clausulas — ⏑ — — —, — ⏑ ⏑ ⏑ — —, ⏑ ⏑ ⏑ — — — uni generi adnumeraverimus, clausulas ⏑ — — ⏑ —, — — — ⏑ — alteri, hoc ex parte per se clarum est; nam pedes — ⏑ —, — ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ — similiter cadunt; formae autem ⏑ — — ⏑ — et — — — ⏑ — aequales sunt extremis quattor syllabis. Alia autem causa, cur haec genera constituerimus, infra apparebit.

§ 4.

De rarioribus quibusdam clausulis.

Illa quinque genera clausularum, quae modo cognovimus, a Cicerone consilio quaesita esse, iam quemvis concessurum esse arbitror. Sed inde nondum sequitur, ceteras, quas in eius orationibus raro invenimus, omnino nullum locum habere et aut neglegentiae scriptoris aut librariorum incuriae esse tribuendas.

Immo hoc quaerendum est, num qua in illis ars esse videatur. Si omnes vel fere omnes eodem modo conformatae sunt, concedendum erit has quoque non tam admissas esse quam quaesitas.

Et primum quidem cum sit maximo in honore haec clausulae dochmiacae forma, quae constat ex dicretico acatalecto (— ⏑ — — ⏑ —), haec quamvis raro longarum syllabarum admitttit solutionem. Habemus igitur formas

— ⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —, — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ —; cf:

Pro imper XXI 62: uno homine vidimus. (Codices variant; sed quod recepit Halmius, uno homine videmus, cum omni numero careat, non est ferendum).

I. Cat. IV 9: morae quod ego viverem.

II. Cat. XI 25: intellegere possumus.

Cum senat. XII 30: numero colere debeo.

Cum pop. II 6: auxisse videamini.

Pro Sulla XIX 55: praefuit familiae.

Quamquam in universum Cicero ut poetae sub finem sententiae nimis multarum brevium concursus evitat, tamen interdum hanc clausulam paeanicam aptam esse censuit. Nec nos movere

debet locus qui est orat. 214, ubi improbatur clausula: filii temeritas; nam legendum est sine dubio: fili temeritas, id quod revera a Ciceronis consuetudine alienum est. Itaque in hoc exemplo non tam paean per se ipse Ciceronem offendit, ut putat Wuest (p. 49), sed paean semel positus nullo cretico antecedente.

Deinde si clausulas choriambicas, quae non ita rarae sunt, accuratius inspicimus, videmus has fere omnes ita conformatas esse, ut choriambum praecedat trochaeus: — ⏑ — ⏑ ⏑ —. Itaque haec coniectura non inepta videtur, ut — ⏑ — ⏑ ⏑ ⏑ — sit species clausulae — ⏑ — — ⏑ —, ita hanc clausulam choriambicam speciem esse formae A, in qua alterius cretici longa syllaba soluta sit. Atque haec coniectura ea re confirmatur, quod in his clausulis Cicero ictum rhythmicum cum accentu grammatico ita conciliavit, ut semper solutae theseos[1]) prior syllaba accentu sit praedita neque admittatur ‚exhibere puto' vel tale quid. Quod cum casu accidisse non possit, pro certo habendum esse puto, has clausulas esse creticas.

Exempla sunt haec:

Pro imperio XII 32: longinqua commemoro.
Pro Sulla VI 18: proferebat officia.
XIII 39: esse in indicio.
XV 42: neminem volui.
XVI 47: gratiam videar.
I. Cat. II 5: adducor ut faciam.
II. Cat. II 4: comitatus exierit.
V 9: fuisse commemoret.
VII 16: eat in exsilium (vides hoc quoque cum nostra explicatione convenire, cum prior creticus solutus sit).
Cum senat. IX 23: commissa praetereo.
XV 37: tela pertimuit.
Cum pop. III 7: dissimilis fuit ratio.

Pugnant cum nostra explicatione hi loci:

Pro Sulla XXXI 87: quam necesse fuit.
I. Cat. V 12: salutem utilius.
II. Cat. VI 13: descripta edocui.

---

1) Vocabula theseos et arseos eo sensu adhibeo, quo veterum optimi auctores nuperque Rossbachius Westphaliusque.

Sed equidem non dubito, quin pro Sul. XXXI 87 scribendum sit: quam fuit necesse. Etiam II act. in Verr. l. V exhibet „accusare necesse sit", idque in fine orationis. Quid igitur? Credemus Ciceronem, „cum aures extremum semper expectent in eoque acquiescant" (cf. orat. 199), orationis finem pessima clausula depravavisse? Mihi potius librarii videntur utrumque locum mutasse propter verborum inusitatam positionem. Et est sane ‚fuit necesse', ‚sit necesse' paulo insolentius. Sed equidem de tali positione non miror in eo oratore, qui inusitatiorem formam ‚explicavit' pro ‚explicuit' dicitur adhibuisse numeri causa.

Iam si ab hoc initio profecti accentui grammatico quendam locum attribuemus, statim aliarum quoque clausularum quarundam, quae adhuc suspectae fuerunt, rationem cognoscemus. Trochaicis clausulis additur forma ex trochaeo et tribracho constans (— ⏑, ⏑ ⏑ ⏑), forma B I ex dactylo et cretico componitur (— ⏑ ⏑ — ⏑ —). Cf:

Pro Sulla III 8: esse voluit.
XIX 53: suspicione caruit.
XXI 61: conservarique cupiunt.
XXVIII 79: vestra moveat.
XXIX 81: esse gravior.
I. Cat. IV 8: scelerisque socios.
(Vides religiosissime hanc legem servatam esse, ut singuli trochaei essent ὑπόρρυθμοι; ita enim numerus apertior fit).
II. Cat. VIII 17: quam potero afferam.
XII 27: atque etiam volo.

Denique iam Wuest observavit, interdum a Cicerone adhiberi paeanes ex quinque brevibus. Quae forma etsi satis mira videtur, tamen propter frequentem usum agnoscenda videtur. Habemus:

Pro imper. XV 44: efficere potuisset.
Pro Sulla XII 35: deficere patientur.
XXIV 67: facere potuisse.
II. Catil. XI 25: vitia superari.
Cum senat. X 25: intellegere potuistis.

Relinquuntur perpaucae clausulae, quae cum nostris formis conciliari non possunt.

Pro Sulla XII 35: quia creditum est.
I. Catil. V 10: proficiscere.

VIII 20: proficiscere.
Pro Sulla XVII 49: defendere quem velis.
I. Catil. IV 9: publicam habemus.
XII 30: non fateatur.
Cum pop. VI 14: ipsa reduceret.

Atque tres quidem illae priores quomodo se habeant, infra videbimus, ubi quaerendum erit, quibusnam locis clausula sit necessaria. Ceterae autem cum neque ullam habeant cum usitatioribus formis analogiam, neque tam frequentes sint, ut se quasi ipsae tueantur, neque cum veterum testimoniis congruant, corrigendae potius quam excusandae mihi videntur.

Non enumeravi inter has pro Sulla XXXI 86: ‚sum, nihil audivi', quoniam luce clarius est, ‚nil' legendum esse pro ‚nihil'. De his formis dixit Wuest p. 81; quocum etsi non plane consentio (nam nonnullae clausulae mihi tolerabiles videntur, quas ille improbat, e. c. Verr. V 19, 47: tabulis nihil habent), tamen concedendum est, formam ‚nil' quibusdam locis esse necessariam.

§ 5.

De clausularum inter se responsione.

Una nobis addenda est lex, quae nunquam diserte commemoratur a veteribus auctoribus; quamquam exempla a Cicerone allata hic quoque magno nobis sunt usui. Dixi enim iam supra, legitimas nostras clausulas etiam in iuculto sermone sua sponte saepissime occurrere. Itaque quid est, quo oratio a sermone differat? Nam quod in illa hae legitimae clausulae paulo sunt crebriores, hoc ita magni momenti esse vix arbitror. Accedat aliquid necesse est, ut aures audientium clausularum percipiant dulcedinem. Hoc nobis quaerentibus auxilio venit, quod Cicero (orat. 213) exponit de illo loco ex C. Carbonis oratione sumpto. Tantum necesse est subaudiamus, quod ille diserte non dixit. Illo igitur loco non dichoreus per se ipse fuit tam praeclarus, sed quod dichoreus bis ponitur. Item in sequentibus, postquam antecessit clausula: mercatoresque superarunt, unice aptae videntur hae: Aegyptoque vicerunt, et: potuisse superari. Cur autem hic dichoreum non desiderant aures? Nam hoc quidem non timendum est, ne ille moveat satietatem. Causam huius rei apud Ciceronem nullam invenimus (Fortasse ipse eam sentiebat magis quam compertam habebat). Videtur autem mihi haec esse,

quod creticae quoque clausulae ex iteratione demum propriam suam vim trahant. Ac tantum abest, ut haec iteratio taedium moveat, ut etiam ornamentum sit orationis.

Haec autem ratiocinatio usu Ciceronis mirifice comprobatur. Nam saepe una eademque clausula acervatim usurpatur. Quin etiam tam immodicus est Cicero in hoc, ut identidem eandem formam sexies saepiusque ponat. Hoc omnibus fore perspicuum spero, quicumque clausularum tabulas nostras inspexerint.

Quoniam autem saepissime responsio fit inter formas A, AI, AII, item B, BI, iam intellegitur, quo iure illas classes constituerimus. Quodsi etiam rariores formas illis adnumerabimus, haec lex etiam magis illustrabitur. Cf. e. c. Cum populo III 6—8: supplicaverunt; movere potuerunt; dissimilis fuit ratio; armisque revocavit; deprecatae sunt; esse seiunctum; sordesque vidistis; semper fuit, frater; continebantur.

Nunc demum recte iudicare licet de quodam loco Ciceronis, qui est de numerorum repetitione (orat. 223): „Ditrochaeus non „est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis „numero nihil est tam vitiosum quam si semper est idem. Ca„dit autem per se ipse ille praeclare, quo etiam satietas formi„danda est magis.“ Hoc qui legit, fncile sibi persuadcre possit, dichoreos repeti non licere. Sed et ex exemplo a Cicerone statim allato et maxime ex ipsius usu intellegimus, iterationem nihil habere vitiosi. Velut in oratione pro Sulla § 90—92 hae se excipiunt clausulae: audiendo; dignitatis; relictus esset; luctu perire; plura dicam; totam repono; constituti; mitigate. Ergo nihil aliud Cicero hac regula in animo habuit, nisi ut occurreret Asianorum usui nimis abundanti; ab his enim nimis crebro illum iteratum esse, ex Cicerone ipso et Quintiliano discimus. Etsi vix credibile videtur, saepius dichoreum ab Asianis usurpatum esse quam ab ipso Cicerone in illa pro Sulla oratione. Ne ab Hegesia quidem, cuius ineptiae et fucus immoderatus a plerisque reprehenduntur, Ciceronem in hac re superatum esse fragmenta testantur. Itaque fortasse Cicero, quo tempore orationem pro Sulla habuit, magis Asianorum vestigia pressit quam cum Oratorem scripsit. Et revera in Philippicis, quamquam dichoreorum repetitiones ne ab illis quidem absunt, tamen nimia illa luxuria restricta est; fere contentus est in his Cicero dichoreis binis ternisve copulatis. Iure autem mireris, quod Wuest, cum ipse

quoque dichorei abusum Asianis probro daret, Ciceronem in idem vitium incidisse non adnotavit.

Ceterum haec iteratio et quasi responsio maxime fit inter clausulas creticas dichoreasque. Dochmii quamquam ipsi quoque iterantur (cf. e. c. pro Sulla XIV 41. 42. XXVII 74. 75.), tamen tam acervatim non solent occurrere. Itaque illud Ciceronis praeceptum, quo dochmium repeti vetatur (orat. 218), etsi non est rectum, tamen a veritate non multum abest.

§ 6.

De aliis orationis partibus numerosis.

Vidimus clansulas saepe inter se respondere seque quasi munire. Verum non solum inter se respondent, sed etiam cum aliis sententiarum partibus, quo eis vis etiam maior accedat. Hae sententiarum partes possunt esse diversae; necesse est autem semper, ut perspicuae sint quam maxime; nam aliter fieri non potest, ut percipiantur auribus. Saepe initia periodorum numerose conformata sunt, saepe etiam membrorum fines eodem numero distincti sunt quo clausulae periodorum. Sed hoc exemplis melius illustrabitur.

II Cat. II 4 sibi respondent certe haec et numero et sensu: ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis.

II Cat. V 9 clausula dochmiaca quasi introducitur alio dochmio praecedente: libidine audaciaque cousumeret (cf. § 1).

II Cat. V 10 clausula A I introducitur forma A quater repetita: sua profuderunt . . . . obligaverunt . . . . . res eos iam pridem, fides nuper deficere coepit.

II Cat. VI 13. Cum haesitaret, cum teneretur, quaesivi . . . . . esse praemissam.

II Cat. VII 14: Nunc si Lucius, ... sententiam mutaverit, ... faciendi abiecerit, ... exsilium converterit: . . . existimari velint.

II Cat. VIII 17: Sed cur tam diu . . . . nihil dicimus?

II Cat. VIII 18: honestissima . . . . . impudentissima . . . in vastatione . . . . futuras putas . . . . . pertimescendos . . . sententia possunt . . . . vota facturi . . . arma laturi.

II Cat. IX 20: aetate iam adfectum . . . . exercitatione robustum . . . . Catilina succedit. ibid.: inciderunt . . . . exci-

tandus . . . . impulerunt . . . . direptorumque pono . . . . cogitare . . . . civitati.

Similia innumera afferre possum, sed credo ex his ipsis satis intellegi, cuiusmodi sit haec responsio. De hac cogitasse videtur Cicero, cum scriberet (orat. 216): „Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo, quod minimum sit, proximum superiorem, saepe etiam tertium.“ Quadrat hoc in locos qualis est II Cat. V 10.

Ceterum non opus est, ut hi numeri clausulis potissimum respondeant; potest etiam inter eos ipsos responsio fieri. cf.:

II Cat. I 2: ut voluit, extulit.

II Cat. II 3: esse oportebat . . . . vehementer accuset.

II Cat. III 5: volitare in foro . . . . stare ad curiam . . . fulgent purpura . . . . ; qui si hic permanent, mementote non.

II Cat. III 6: caedis atque incendiorum depoposcerit.

II Cat. IV 7: fingi aut cogitari potest, quod non ille conceperit.

II Cat. IV 8: quae tanta unquam in ullo fuit quanta in illo . . . .

V Phil. III 7: Lucio Antonio dividendam dedit.

VIII Phil. V 16: Dura vox! multo illa durior: Salvi sini improbi, scelerati, impii; deleantur innocentes, honesti, boni, tota res publica.

Pro Rosc. XXVIII 74: Cui dedit? per quem dedit? unde aut quantum dedit? nonne his vestigiis ad caput malefici perveniri solet?

Pro Rosc. L, 145: Praedia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo; concedo, et quod animus aequus est et quia necessest. (Etiam hic in trochaeis solutis Cicero respexit accentum).

Ipse Cicero ex Fannio hoc affert (de orat. III 47, 183): „Si, Quirites, minas illius“; atque illum ita exorsum esse dicit (puto totam orationem).

Itaque praeceptum quoddam Ciceronis, quod per se intellegi vix potest propter magnam obscuritatem, ita explicari posse puto, ut referatur ad hanc consuctudinem. Dicit enim ille (orat 199): „Quare cum aures extremum semper expectent in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet, sed ad hunc exitum „tamen a principiom ferri debet verboru illa comprehensio et „tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa con-

„sistat.“ Hoc si ad verbum accipimus, esse non potest, quin fiat versus. Sed revera huic exitui non tota comprehensio respondere oportet, sed certae tantum comprehensiqnis partes, ut vidimus.

Quid autem, si sententia tam brevis est, ut de certis partibus quam maxime perspicuis non possit cogitari? Nonne, si in talibus qoque omnia ad clausulam spectant, versus existet? Existet sane. Atque ex hoc genere sunt illa:

I. Cat. I 1: Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? (Quousque est vox disyllaba).

II. Cat. I 1: Abiit, excessit, evasit, erupit.

Sed tales versus non sunt ita frequentes.

Ceterum fere omnes hi versiculi ex numeris creticis constant; rari sunt admixti trochaei, anapaesti vero aut dactyli nulli. Cum hoc usu conciliare possumus, quod Cicero dicit orat. 196: „Sit igitur, ut supra dixi, permixta et temperata „numeris nec dissuluta uec tota numerosa, paeane maxime, „quoniam optimus auctor [Aristotelem dicit] ita censet, sed re- „liquis etiam numeris, quos ille praeterit, temperata.“ Longe igitur Cicero abest a Demosthenis admirabili varietate, qui omnis generis rhythmos, ut occasio dabat, inter se temperavit.

§ 7.

De singularum orationum inter se differentiis.

Longe aliter atque ego de tota Ciceronis arte Wuest iudicat, qui non solum accentui grammatico multo plus quam ego tribuit, sed etiam ante omnia incisiones respiciendas esse censet. Itaque ille vir doctus totam quaestionem suam ita instituit, ut ab incicionibus profectus primum percenseret clausulas, quae in disyllabas voces desinerent (monosyllaba in fine sententiarum in universum a Cicerone evitari recte ille animadvertit), deinde quae in trisyllabas etc. In hac autem quaestione cum alia tum haec animadvertisse sibi visus est, clausulam dochmiacam, quae desinat in vocem iambicam, male concludere. Haec enim clausula cum accentus observatione, quam in Cicerone inesse putat, maxime pugnat. Ipsius verba apponam (p.

92): „Jambicae igitur voces extremae merito a Cicerone dili-„genter vitantur et inde recte illud explicatur, quod clausula „dochmiaca (⏑ — — | ⏑ —), quam quovis loco aptam esse Cicero „contendit, in ipsa optima periodo longe inferior est numero „periodi extremae, quamquam hanc unicam huius rei causam „esse ne ipse quidem credo."

Nempe putat Wuest tres Ciceronianarum orationum esse aetates; ex his mediam esse optimam atque in numeris diligentissimam. Vidit recte, in media aetate multo rariores esse clausulas dochmiacas quam in extrema. Sed quod hanc differentiam aetatum diversitati atque Ciceronis diligentiae in media aetate maximae deberi putat, in hac re vehementer errat.

Nam cum sex illae orationes, quarum clausulas oculis subieci, omnes intra paucos annos habitae sint, tantae tamen sunt inter eas differentiae numerorum, ut maiores esse vix possint. Nonne vides, Catilinariarum numeros discrepare a numeris orationis pro Sulla habitae, cum spatium interiectum sit paucorum mensium? Gratiorum actiones vero toto coelo a Catilinariis distant. In illis, ut de aliis discriminibus taceam, dochmii rariores comparent, in his admodum multi. Hanc autem differentiam generis esse puto, non aetatis. Ut enim poeta pro varia materie metris quoque variis utitur, ita etiam orator. Et videtur mihi dochmiorum multitudo ex indole Catilinariarum orta esse, quippe quae sit multo incitatior atque vehementior quam illae gratiorum actiones magis factae ad auditores delectandos quam commovendos. Ad furibundas orationes dochmios aptiores esse arbitror, cum clausulae creticae sedatiores esse videantur. Itaque quo magis orator insurgit, eo magis numero dochmiorum crescere videtur. Oratio pro imperio et gratiarum actiones dochmios perpaucos habent; Sullana medium locum tenet.

Ceterum ne hoc quidem verum esse, in iis orationibus, ubi rarior sit dochmius, iambicam vocem extremam evitari, ex tabulis nostris facile concluditur.

Pro imperio VII 18: collocatas habent.
Cum senatui II 3: salutis meae.
VII 16: consilia pestis meae.
X 26: dignitatis meae.
XII 30: salutis meae,
XIII 32: inimicus scio.

Cum populo	I 4: ut nemo magis.
	V 13: inimicos meos.
Pro Sulla	I 3: reprehendatur meum.
	II 4: Hortensio quam mihi.
	VIII 23; anteiri putant.
	IX 26: quieto frui.
	inveniri nemo potest.
	XI 33: consulatus mei.
	XVII 48: accuso meum.
	XVIII 50: quidem factum tuum.
	XIX 53: nihil vero minus.
	XXXI 86: defendi ac tegi.

Vides unam orationem pro imperio ansam dore posse ad Wuestii falsam opinionem: nam ex viginti dochmiis (si his adnumeras formam B I) unus tantum illam habet incisionem post bacchium; contra in orationibus cum senatui et cum populo gratias egit, haec incisio in tanto est honore, ut in illa quinque ex sedecim, in hac duo ex quinque ea utantur. Itaque cum oratio pro imperio iisdem fere numeris temperata sit quibus gratiorum actiones, hanc rem, quod illa incisio in hac oratione rarior est, equidem casui tribuere non dubito. (Fortasse inde hoc derivandum est, quod in oratione pro imperio, ut est eius argumentum, pronominibus ‚meus', ‚tuus' locus non est).

Atque hoc est caput erroris a Wuestio commissi, quod ille non singularum orationum clausulas enumeravit, sed aetatum. Si illud fecisset, statim eum tria sua genera orationum secundum aetates ordinata puto abiecturum fuisse. Mero enim casu hoc accidit, quod in media aetate orationes, ut ita dicam, ἐπιδεικτικαὶ sunt crebriores. In tertia autem aetate cum maximum spatium obtineant orationes Philippicae quam maxime ad certamen factae, non est mirandum, quod in hac aetate dochmii in tanto sunt honore.

Idem Wuest dicit: „Tullium religiosissime observasse iden- „tidem vidimus normam illam in scaenicorum senariis obtinentem, secundum quam clausulam conformari binis vocibus iam- „bicis ⏑ — | ⏑ —) vel voce iambica praecedente voce cretica „(— ⏑ — | ⏑ —) nefas est.“ Hoc ideo fecisse Ciceronem putat, ne clausulae suae iambicae Catullianis similes essent: Catullus enim hanc legem non est secutus; cf. c. 4, 3: impetum trabis;

4, 9: Ponticum sinum etc. (Wuest l. l. p. 89). Ne tum quidem iambica vox extrema Wuestio placet, si praecedit vox plurium syllabarum in creticum desinens

(⏑ – ⏑ – | ⏑ – , – ⏑ – ⏑ – | ⏑ –).

Sed huius normae ipse tam multas exceptiones commemorat (p. 64, 65), ut eam silentio liceat praeterire. Nisi forte aut adoptanda est ab illo antiquissima prosodia fûit quam Ciceronis temporibus adhuc valuisse neminem crediturum puto, aut hoc Wuestio concedendum est, „pronomina possessiva tam arte iu-„gata esse cum substantivis, ut unam quasi conforment notio-„nem unumque vocabulum“ (p. 66); quod quam falsum sit, ex eo ipso sequitur, quod saepissime separantur pronomina possessiva a substantivis suis.

Quod autem voces tribrachicae sive anapaesticae raro claudunt, hoc non ascribendum est accentus rationi, ut putat Wuest (p. 93 sq.), sed ex clausularum nostrarum communi formatione optime explicatur; quippe cum nulla ex iis clausulis, quas unice legitimas esse vidimus, voces tribrachicae conciliari possunt, nisi cum rarioribus illis formis, quibus aut ditrochaei aut dicretic catalectici secundus pes solvitur. Hae autem formae, ut vidimus, perrarae sunt, neque id, ut puto, propter accentum (nam ne pugnant quidem cum accentu), sed idcirco Cicero eas in universum vitasse vieetur, ne oratio nimis multis solutionibus iisque in extremo pede adhibitis gravitatem amitteret.

Illud autem non magis mihi probatur. quod Wuest contendit p. 44, in clausula quam nominavi A I. Ciceronem cum omnino tum maxime in media aetate hoc studuisse, ut incisio fieret *κατὰ πρῶτον τροχαῖον*, velut in ‚esse voluisset.‘ Scio plerumque hanc clausulam ita esse formatam; sed hoc, ut persuasum habeo, casu magis quam ratione accidit. Nam plerumque, ut constat, haec clausula desinit in verbum ‚videatur‘ vel ‚potuisset‘ vel ‚voluisset‘, quibus formis praefigitur infinitivus in trochaeum desinens, ut ‚esse‘ eiusque similes[1]) Hae formae tritissimae oratori clausulae A I studioso quasi sua sponte se offerebant. Sed, si exempla a me observata percurro, invenio incissionem illam *κατὰ πρῶτον τροχαῖον*, ut in his compositio-

---

1) Irridet hunc abusum Tac. dial de or c. 23.

nibus necessariam, ita in ceteris exemplis non frequentiorem esse quam alias incisiones. Inspice clausulas A I, quae sunt in oratione pro imperio. Hanc orationem ideo elegi, quia ex omnibus numeros habet accuratissimos; nam ne illis rarioribus quidem clausulis utitur nisi ter inter centum et nonaginta clausulas.

I 1: susceptae prohibuerunt.
III 8: Sulla revocavit.
IV 10: esse videantur.
VI 14: vectigalibus agatur.
15: affert calamitatem.
VII 19: trahant calamitatem.
VIII 20: esse videantur.
IX 26: esse videatur.
X 27: scientiam fugere possit.
XI 32: esse sociorum.
XIII 39: esse voluerunt.
XIV 41 = XIV 42 = XVI 47 = XX 59: esse videatur.
XX 59: conficere possit.
XXI 61: suo gerere? gessit.
XXII 64: esse fateantur.
66: spiritus capere possit.
XXIII 67: esse videatur.
esse videamus.
facultate dubitemus.

Apparet ex hoc, nullum esse studium certae cuiusdam incisionis. Quin etiam illius formationis, quam putat Wuest „prorsus abhorrere ab apta clausularum structura" (p. 14), vocis trochaicae praecedente tribracho, tria vides exempla extare: X 27. XXI 61. XXII 66.

Itaque, ut iam supra dixi, abicienda videtur Wuestii illa de tribus Ciceronis aetatibus opinio, quam maxime idcirco, ut apparet, ille adoptavit, quia praeoccupata mente nimis multum accentui tribuit[1]). Nec mihi sufficere videtur ratio a Wuestio

1) Iam Guttmann in dissertatione quae inscribitur: De earum quae vocantur Caesarianae Tullianarum orationum genere dicendi, Gryphiswaldiae 1883, Wuestium impugnavit, primum quod Miloniana et Ligariana nullum vestigium senescentis ingenii exhibeant,

instituta „secundum quam verborum incisionibus fundamenti loco positis pro extremarum vocum syllabis clausulas omnes in quattor classes discripsit" (pag. 94). Ne cum Ciceronis quidem praeceptis illa ratio conciliari potest. Nihil enim Cicero de incisionibus tradit, nihil dicit de ea re, num vox disyllaba an trisyllaba an tetrasyllaba aptius claudat. Atqui cum in hac re, si Wuestium audis, ab auctoritate Graecorum discrepuerit leges Latinae linguae secutus, putare possis eum has ipsas res maxime habuisse compertum. Quin etiam illud ipsum exemplum dochmii, quod dat in Oratore, ‚amicos tenes', cum Wuestii doctrina maxime pugnat. Accedit, quod accentui ne poetas quidem illis temporibus quidquam tribuisse constat.

§ 8.

Ubi clausulae sint necessariae.

Illud nondum quaesivimus, ubinam omnino expectandae sint clausulae. In universum hoc intelleximus, quamque periodum numerose cadere oportere. Nunc accuratius pervestigandum est, quibus locis subsistere soleat oratio. Si enim clausulae non sunt merus scriptoris lusus, sed ad aures perventurae sunt, necesse est certe eas ibi poni, ubi vox subsistat auresque audientium paululum acquiescant; in medio cursu orationis nullam habent vim. Non recte igitur fecit Wuest, quod, ubicunque maior interpunctio (punctum, colon, semicolon) posita esset, ibi clausulam postulavit. Atque falso ab eo rem tractatam esse, non modo ex hoc elucet, quod clausulae tali modo enucleatae parum habent aequabilitatis nonnullaeque occurrunt vitiosae, sed etiam exemplo, quod in Oratore (213 sq.) Cicero affert, meam sententiam comprobari puto, clausulas tantum in periodorum finibus, non in membrorum necessarias esse. Nam cum affert Cicero ex C. Carbonis oratione haec: ‚O Marce Druse, patrem appello: tu dicere solebas, sacram esse rempublicam; quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas', nihil dicit de clausulis membrorum: patrem appello, et: esse rempublicam, sed tantum versatur in clausula ditrochaica, qua pe-

---

sed ex ceteris partibus perfectae sunt, nisi quod Wuest numeros senectutem redolere censet. Idem vidit, Phil. XIV testante ea ipsa tabula, quam Wuest confecit, ad optimam classem pertinere.

riodus absolvitur. Iure igitur Wuest, quamquam omnes illas clausulas enumeravit, tamen iis, quae essent ante punctum, plus tribuendum putavit. Sed hoc non per totam quaestionem fecit, sed hic illic.

His causis commotus ego in initio quaestionis meae, ut iam supra dixi, rem ita institui, ut eas tantum clausulas enotarem, quae essent ante maiores pausas. Qua in re editionem Halmianam secutus sum, ita ut, ubi in illa punctum positum esset, insisterem. Sic in universum Ciceronis consuetudines cognoscere licebat. Sed quoniam leges nostras, quas invenimus, iam per se tam stabiles atque firmas esse puto, ut illius orationis fundamento iam non indigeant, licet paulo longius progrediamur et ipsi constituamus, ubi Cicero clausulam legitimam necessariam censuerit, ubi putaverit illam neglegi licere. Qua in quaestione vicissim rhythmicae nostrae leges observationibus, quae ad periodos dividendas pertinent, adiuvabuntur, et contra.

Ac primum quidem hoc in mente retineamus necesse est. Omnis clausula, ut efficiat aliquid, cum elatione quadam vocis atque magna cum vi et gravitate pronuntianda est; aliter enim ab audientibus vix potest percipi. Atqui sunt quaedam sententiolae, quarum ipsa natura probihet, quominus tali modo pronuntientur. Ridiculum enim esset, si in his orator eadem gravitate uti vellet, qua in longissimis periodis atque artificiosissimis. Et revera videmus, tales sententiolas tam saepe numero carere, ut ubicunque iusta clausula in iis cernitur, putandum sit eam sua sponte se obtulisse. Huius generis erant eae clausulae, quas enumeravimus supra p. 51. Sufficiet, opinor, si huc adiciemus exempla, quae occurrerunt mihi perlustranti Roscianae duodesexaginta paragraphos primas.

I 1: Minime.
XI 30: Desunt.
32: Quid vultis amplius?
XIV 40: Quam ob causam?
XVIII 52: Numquid est aliud?
XIX 54: Quom ob causam? — Nescio. — Exheredavitne? — Non. — Quis prohibuit? — Cogitabat. — Cui dixit? — Nemini.
XXI 58: Planum fac.

Ex eadem causa etiam fit, ut in narratione, praesertim si ea est incitatior, quam ut multas et magnas pausas admittat,

totaque constat ex sententiis brevioribus et abruptis, clausulae nonnunquam desiderentur. Ceterum, quod vix opus est dictu, ubi narratio desinit vel insistit aliquamdiu, clausula carere non possumus.

Exemplum in Rosciana, cuius narrationem magna cum arte compositam esse constat, extat luculentissimum. Usque ad finem paragraphi 19 periodi artificiosae inter se sequuntur; quarum nulla caret clausula. Subito orator hunc dicendi modum deserit. Ut prae se fert summam incitationem et quasi trepidat ad exitum, sententias perbreves et carentes ambitu effundit. Clausulis ei iam non est opus. Itaque per quattuor sententias ter habemus dispondeum, qui, ut Cicero ipse testatur, (orat. 216) hebetior videtur et tardior, semel etiam heroicam clausulam pessimam atque omnino repudiandam. Sequitur sententia non minus abrupta quam antecedentes; haec tamen distincta est dichoreo, quia post eam orator requiescit aliquamdiu atque respirat. Quo facto, inde a verbis „Ne diutius teneam, iudices“ orator plane eodem modo quo antea trepidat. Habemus primo clausulam dichoream: societas coitur. Post hanc Halm pessime ad novum caput transit. Immo orator non prius cursuit suo moderatur, quam perveniat ad Sullae commemorationem; itaque per quattuor sententias semel habemus dochmium admissum magis quam quaesitum, semel clausulam E, quae ipsa quoque est minus nobilis; bis vero clausulas plane illegitimas, ‚nobilitatis‘ et ‚fit Chrysogonus‘. Post ‚milibus nummum‘ requiescit orator et deinde transit ad Sullae laudationem, quae usque ad finem paragraphi 22 patet. Haec quo clariora fiant, totum hunc locum ita ut ego eum puto interpungendum esse, describam.

„20 Quadriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum „in castra L. Sullae Volaterras defertur; magnitudo pecuniae „demonstratur; bonitas praediorum (nam fundos decem et tres „reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt), huius inopia et so„litudo commemoratur; demonstrant, cum pater huiusce S. Roscius, „homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, „perfacile hunc hominem incautum et rusticum et Romae ignotum „de medio tolli posse; ad eam rem operam suam pollicentur.

„Ne diutius teneam, iudices, societas coitur; VIII 21. cum „nulla iam proscriptionis mentio fieret, cum etiam, qui ante „metuerant, redirent ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur, „nomen refertur in tabulos S. Rosci, hominis studiosissimi nobi-

„litatis; manceps fit Chrysogonus; tria praedia vel nobilissima „Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet; in reliquas „omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quaemad„modum ipse dicit, impetum facit; haec bona emuntur duobus „milibus nummum.

„Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse certe „scio. Etc."

Necnon adversarii obiectiones, praesertim si breves sunt, plerumque sine ulla gravitate proferuntur. Exempla rursus Rosciana suppeditat, quae cum sit summa vivacitate et quodam iuvenili ardore praedita, omnes fere dicendi modos exhibet. Cf.:

XXI 58: Ne exheredaretur veritus est.

ib.: Habebat pater in animo.

Hae sententiae etsi breves sunt, tamen non sunt ita breves, ut numero necessario carere eas oporteat. Sed, puto, hac ipsa neglegentia numeri Eruci accusatoris dicendi modus abiectus atque parum gravis optime pingitur; hoc enim Cicero per totam hanc orationis partem sequitur, ut vituperet Eruci in accusando neglegentiam, quem iudicum consessu auditorumque conventu pro summa solitudine abusum esse dicit. (Cf. XXI 59).

Sed fit etiam, ut adversarii obiectiones sint numerosae, si Ciceronis refutationes statim iis occurrant, ita ut obiectio et refutatio quasi inter se respondeant. Cf.:

Pro Rosc. XVIII 52: „Convivia cum patre non inibat." Quippe, qui ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. „Domum suam istum non fere quisquam vocabat." Nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset.

(Vides responsionem clausularum religiosissime esse servatam).

Aliis locis difficilius cognoscitur causa, cur clausula neglecta sit. Sed tenendum est ubique, ad nostram interpunctionem Latinorum periodos non esse dirigendas. Saepe nos insistimus, ubi illi non insistunt. Itaque in periodorum divisione clausularum observationi aliquantum tribuere necesse est.

Fit autem saepe, ut binae sententiae tam arcte inter se coniungantur, ut quasi pro una sint habendae. Id quod maxime fit, si hae coniunctae sunt particulis nam, enim, itaque, igitur, vero, autem, aliis. Sed etiam talibus particulis non additis saepe observari licet, in priore sententia vocem ascendere, in posteriore demum descendere. Est autem verae periodi, ut sit in se per-

fecta atque absoluta, ideoque vocem in fine descendere et quasi requiescere necesse est. Ergo si tali modo sententiae inter se copulentur, in ea quae plane absoluta non sit, clausulam non postulandum esse, ex eo elucet, quod paulo ante de clausulae natura ac vi diximus. Percurrentibus autem nobis Roscianae primas paragraphos duodesexaginta, haec exempla obviam fiunt:

V 13: Etenim quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi ut id fieri liceat? Accusant ii etc. Ibid.: Accusant ii, qui in fortunas huius invaserunt: causam dicit is, cui praeter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem S. Rosci bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum iugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui . . . . cum praesidio venit, ne . . . . . ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex eorum nefaria caede restat.

(Ergo bis clausulae vitiosissimae admissae sunt, bis clausulae non reiciendae illae quidem, sed tamen parum graves).

VII 18: Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio malnficî pertineat; verum id, quod adhuc est suspiciosum etc.

IX 23: Intellegitur, iudices, id quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla scelera haec et flagitia fieri: nam statim Chrygonus etc.

XI 30: Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? tamen haec aliis nefariis cumulant atque adaugent.

XIII 37: Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur: scelestum, di immortales, ac nefarium facinus.

(Vides appositionem, id quod postulat lex syntactica, cum antecedenti sententia uno tenore esse pronuntiandam).

XVI 45: Quaeso, Eruci, ut haec in bonam partem accipias; non enim exprobrandi causa ete.

XVI 48: . . . . considera, ... quae studia a patribus familias maxime laudentur: iam profecto te intelleges etc.

XVIII 52: Audio; nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta.

XX 56: At fures internoscere non possunt: significant tamen etc.

XX 57: Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum anseres sunt . . . . ., alii canes etc.

XXII 60: Intellexi quid eum pupugisset: iterum ac tertium nominavi.

XXV 70: Sapienter fecisse dicitur, cum . . . nihil sanxerit, ne . . . . admonere videretur: quanto nostri maiores sapientius, qui . . .

XXVIII 76: Verum haec missa facio: illud quaero . . . .

XXXVII 107: Coniectura nihil opus est: ipsos certe scio . . . .

XXXVIII 110: Postremo isto hortatore . . . . . non adierunt; istius fide . . . . rettulerunt. (Anaphora habet hanc vim, ut copulet sententias).

Huc liceat addere pauca exempla ex quinta Philippica quaesita:

III 7: Quid, per auspicia ferri potuit? sed augur verecundus sine collegis de auspiciis.

III 8: Possuntne hae leges esse ratae sine interitu legum reliquarum? Eccui potestas in forum insinuandi fuit?

XIV 39: Gravis illa fortuna populi Romani, grave fatum; Pompeio enim interfecto . . . . .

XVIII 50: Omnes habeo cognitos sensus adulescentis: nihil est illi republica carius.

Haec sufficiant.

Possis expectare, etiam pronomina relativa itemque particulas nonnullas, ut, 'quasi', 'quasi vero', ,nisi', ,nisi forte', ,nisi vero', ,quare', ,quamobrem', ,quamquam', ,tametsi', cum ex ratione syntactica cum antecedenti periodo unam sententiam constituant, clausulas ante se non desiderare; quamquam nos in his aliam rationem sequi solemus: pronomina relativa saepe per demonstrativa vertimus, ,nisi forte' per „Es müsste denn sein", ,quamquam' per „freilich"; itaque quae una est periodus in lingua Latina, hanc dividimus in duas. Ego tamen quid de talibus coniunctionibus statuam nescio. Habemus certe locos, ubi clausulae neglectae periodorum divisionem vetent. Cf:

Pro Rosc. XX 55: . . . . aperte ludificari et calumniari sciens non videatur; quare facile omnes patimur etc.

V. Phil. VII 20: . . . in me absentem orationem evomuit; quo die etc.

Sed clausularum observatarum exempla longe sunt frequentiora; itaque ea enumerare supersedere possum.

§ 9.

De prosodia Ciceronis.

Pauca mihi addenda esse puto de prosodia, quam Cicero in orationibus suis adhibuisse videatur. Difficilis autem est haec quaestio eo, quod praeter exiguos grammaticorum locos et inscriptiones quasdam et poetarum usum nullos habemus fontes, e quibus veram populi pronuntiationem possimus cognoscere. Prosaicae autem inscriptiones neque ita multae extant ex Ciceronis temporibus, et hac re earum auctoritas minuitur, quod orthographia non semper cum pronuntiatione consentit. Neque vero poetae plane integri auctores habendi sunt, quia et versui multum tribuunt (cf. e. c. formam relligio a dactylicis poetis inventam), et Graecorum consuetudines saepe temere imitantur nulla ratione habita genuinae pronuntiationis.

Velut illa inconstantia, qua apud dactylicos et melicos utuntur mutae cum liquidis, ut tum positionem faciant tum non faciant, non fuit ab initio insita linguae Latinae. Apud comicos enim, quorum versus ad cotidianum sermonem proxime accedunt, muta cum liquida nnnquam positionem facit. Postea ex Graecorum usu illa licentia irrepsit. Popularem sermonem autem in talibus rebus semper sibi constare, testatur Attici sermonis constantia; nam apud Atticos quoque comicos urbani sermonis imitatores, cum ceteri poetae fluctuent, mutae cum liquidis positionem non faciunt, nisi forte in *παρῳδίαις*. Itaque ne apud Ciceronem quidem haec positio est admittenda. Atque cum hoc clausularum testimonia optime congruunt.

Sed haec nostra lex certas habet exceptiones. Repetenda est enim ab origine causa, cur muta cum liquida positionem aut facere aut non facere possit. Fit hoc idcirco, quia muta et liquida facile una pronuntiantur et ob eam rem paene pro una littera habentur. Sed fieri etiam potest, ut muta cum liquida minus arcte colligetur. Hoc ex necessitate fit, si muta est unius verbri, liquida sequentis, e. c. ob litem. Atque etiam in compositis vocabulis, quorum duae partes iam coaluerunt, tamen vox insistit in priore, ita ut correptio illa fieri non possit; cuius generis sunt: quamobrem, abluo, *ἐκλέγω*.

Brevis vocalis finalis, si sequuntur duae consonantes, a vetustioribus poetis Latinis non producitur. Ita dicit Lucretius: cedere squamigeris, Lucilius: segetem immutasse statumque.

Cf. Luc. Mueller, De re metrica Latinorum, p. 316 sqq. Contra perpauca extant exempla productae vocalis. Itaque in hac re poetae eo integriores testes habendi sunt, quod vel contra usum Graecorum tali usi sunt prosodia. Quem ne offenderent, posteriores omnino talibus collocationibus se abstinuerunt, invenimusque apud hos incredibile quam raro brevem vocalem sequentibus duabus consonantibus; id quod apud Graecos minime inusitatum est. Fugiebant autem poetae Latini talia, ne aut contra sermonis Latini consuetudinem aut contra Graecorum praecepta peccarent. Quodsi Ciceronis usum consulimus, videmus hunc in ea re non secus se habere atque poetas. Perspicuum est enim, apud hunc quoque quandam fugam harum collocationum fuisse. Atque in toto ambitu illarum sex orationum, quarum clausulas oculis subieci, non plus unum extat exemplum clausulae, in qua brevem vocalem finalem sequatur consonans duplex. Est hoc de imperio XII 33: potestate sciatis. Atque hoc loco Gellius ex veterum codicum auctoritate ‚potestatem' scribendum esse dicit. Addit haec (N. A. I, 7, 20): „Illud enim (sc. potestatem) sic compositum iucundius ad aurem completiusque, insuavius hoc imperfectiusque est." Vides Gellio displicuisse eam compositionem verborum, qua brevem vocalem finalem exciperent duae consonantes; quod idem de Cicerone statuendum videtur. Quam studiose autem Cicero talem compositionem vitaverit, ex hoc intellegi potest, quod nunquam, quantum videam, in clausula habet ‚spero' antecedente infinitivo, nec magis ‚scio' vel ‚scimus'; quae locutiones tamen quovis loco se offerunt. Sine dubio igitur Gellii lectio adoptanda est neque assentiendum Wuestio, qui, quasi res per se clara sit, vocis potestate extremam syllabam produci putat (pag. 67).

Ceterum comici Latini, quamquam in universum satis integri nobis auctores habendi sunt, tamen non omnino prosodia Ciceronis ad eam normam dirigenda est. Alius est enim sermo vulgaris, alius sermo oratorius, qui altiore incedit cothurno. Itaque non adoptabimus neque a Plauto neque a satiricis (nam hi ad comicos proxime accedunt) abiectissimas illas prosodias: homo, volo, amo, nedum illas: ipse, iste, ille. Sequemur in his ceteros poetas, quoniam nullis Graecorum exemplis ducantur, sed gravitatis studio, quam quidem Cicero non minus illis sequebatur.

Quod attinet ad verba mihi, tibi, sibi, ubi, assentior Wuestio, certi quidquam de Ciceronis usu adhuc affirmari non posse

propter exemplorum paucitatem. Quae ille affert exempla, nihil probare possunt. Nam pro Rosc. L, 145, ubi legitur:

„Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero;" ex eo quod supra exposuimus, apparet post „clausa est" omnino nullam expectandam esse clausulam. Pro Quintio XXIII 74 legimus:

„Denique hoc tempore ubi sunt? quis est, qui fraudationis causa latuisse dicat?"

Sive igitur longa est i in ‚ubi' sive brevis, clausula legitima non fiet; quamquam Wuestio, ‚hoc tempore ubi sunt' ferendum videtur. Sed ne hic quidem opus est clausula, quia ambae interrogationes uno tenore dicuntur. Cf. V. Phil. III 8.

De formis illius, ipsius etc. habemus Ciceronis testimonium quoddam. Nam cum ille dicit Fannii verba:

„Si, Quirites, minas illius"

ex creticis constare, quodammodo declarat, oratores eadem qua poetas licentia uti, ut in his formis i vocalem tum corripiant, tum producant, prout numeri ratio postulet. 1)

Secundam personam plur. in perfecto coniunct. et futuro exacto longam i habuisse apud Ciceronem, Wuest probavit (p. 80 sp.); quamquam clausula, quae est IV Cat. XI 23: esse memineritis, producta i non minus vitiosa mihi videtur quam correpta. Num prima persona eadem prosodia utatur, adhuc nescio. Nam etsi in oratione cum senatui gratias egit I 2 magis placet: vos reciperarîmus, tamen etiam correpta i habebimus clausulam haud repudiandam.

Conicere legendum esse apud Ciceronem, uno exemplo, quod attulit Wuest (V. Verr. VII 17) nequaquam probatur; immo ‚in carcerem coniciiubet' inusitatius est quam ‚cônici iubet'. Alter locus, in quo conicere melius esse Wuest putat (pro Mil. XIX 49: noctem se côniceret) omnino nos movere non debet, quia illic non ornate et numerose dicit Cicero, sed per sententias perbreves et abruptas. Poetae aequales cônicere praebent, cf. Lucr.:

Etesia flabra aquilonum
Nubila coniciunt in eas tunc omnia partes.

Non magis abicere pronuntiandum esse est credendum; nam

---

1) Aliter iudicat Quintilianus I 5, 18, sed Ciceronis maior est auctoritas.

II. Phil. XXXIV 86, quem locum affert Wuest, nullam clausulam necessariam esse primo obtutu vides. Cf.:

Supplex te ad pedes abiciebas; quid petens? ut servires?

Haec sine dubio uno tenore proferuntur, praesertim cum syntactico ratione inter se cohaereant. Comicorum autem testimonia, ex quibus Wuest concludit ăbicere, cŏnicere esse legendum, non in omnibus rebus valere ad Ciceronis morem cognoscendum, iam supra monui.

§ 10.

Unde Cicero numeros didicerit.

Ab ipso Cicerone totam hanc artem numerorum profectam esse, neque per se verisimile est neque cum eius testimoniis conciliari potest. Sed qui ante me hanc quaestionem attigit Wuest, videtur mihi multo plura Cicero tribuere quam par est. Putat enim Ciceronem regulas Graecorum ad Latinae linguae indolem conformasse atque nonnulla mutasse. Cf. e. c. ea quae dicit de paeane a Cicerone non adhibito p. 87: „Quamvis igitur „paean ea re sese commendaret, quod carmina ex eo nulla fere „componebantur, tamen clausulae Latinae non conveniebat, „primum quia in lingua Latina syllabae longae multo sunt fre„quentiores quam breves, cuius rei contrarium fit in lingua „Graeca, deinde quia et paean primus et quartus magis insurgit „quam cadit simulque Latini accentus ratio utrique minus con„venit."

Paucitatem brevium syllabarum unam causam fuisse, cur Cicero paeanem evitaret, equidem non credo; nam non adeo rarus est paean; habemus formas: adhibeo, adigere, artificium, caruerat, celeritas, coaluit, comitium, constituere, disseruimus, facinora, facilius, generibus, habuerit, hominibus, humilius, humilitas, initium, itinera, inierant, lepidius, meminerit, metuerat, minuitur, municipium, posuerit, poterimus, potuerit, prohibeo, positio, recidere, recipere, recupero, redigere, redimere, redierant, reficere, religio, reperio, repetere, repudio, reticeo, retineo, satietas, sacrificium, saepenumero, sceleribus, sequimini, societas, statuere, studuerit, subierat, temeritas, tenuerat, tenuitas, tribuere, valuerit, varietas, veteribus, vetuerat, vitupero, voluerat, atque redeo, etc. etc. Praeterea haec ipsa est oratoris ars, vel invita lingua rhythmos effingere; velut Demosthenes, cum lingua Graeca tantopere abundet brevibus syllabis, tamen trium brevium

concursum studiosissime fugit.[1]) Atque, quod maximum est, cum Cicero in formis A I et A II tam crebro paeane uteretur, nihil obstabat, quominus eundem pedem eadem falicitate in periodi fine poneret; an putas ‚esse videatur' minus quam ‚atque redeunt' pugnare cum indole linguae Latinae?

Deinde Wuest captus est illa regula, de qua supra diximus, secundum quam versuum initia non conveniunt orationis clausulis. Cum haec regula pugnet cum frequentissimis clausulis, quae Ciceroni cum Catullo communes sunt, Wuest demonstrare conatur, esse quasdam discrepantias inter Ciceronis et Catulli clausulas; sed frustra laborat, neque est credendum, Ciceronem Catulli vel aliorum poetarum usum respexisse.

Maximus autem error Wuestii hic est, quod putat Ciceronem in omnibus fere rebus ab Aristotele pendere. Sunt autem et differentiae inter eos maximae, et omnino Cicero Aristoteli non tantam operam dedit, quantam ipse se dedisse profitetur. An putas hunc iam eo tempore, quo Roscianam haberet, Aristotelis praeceptis imbutum fuisse? Atqui hoc nobis credendum esset, si Wuestium sequi vellemus, quoniam Rosciana eosdem numeros habet quos ceterae orationes.

Mihi contra videtur, si quis ratione ac via quaerere velit, ei in eos doctores animum advertendum esse, a quibus in ceteris rebus Cicero institutus est; sunt autem hi oratores Asiani et Rhodii, quibus quantum Cicero debeat, non tam ex ipsius verbis cognosci potest quam ex horum oratorum atque Ciceronianarum orationum diligenti comparatione. Nam in illo quidem Ciceroni fides non est habenda, quod dicit Atticos sibi exemplari esse, cum toto genere dicendi sit ab iis diversissimus; immo recte iudicaverunt ii inter aequales, de quibus Tacitus (dial. 18) refert: „Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus „inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans „et superfluens et parum Atticus videretur."[2])

Postquam Attica eloquentia senio confecta emortua est, Hegesias Magnes, Asianorum princeps, novas ληκύθους invenit easque diversas ab Atticorum arte. Quae quales fuerint, a nullo veterum diserte dicitur. Sed extant Hegesiae fragmenta satis

1) Cf. Blass, Die attische Beredsamkeit, III. Bd, 1. Th, S. 99 sqq.

2) Cf. etiam Blass, Die griechische Beredsamkeit von Alexander bis auf Augustus. Leipzig 1865, S. 127 sq.

ampla, ex quibus eius morem licet cognoscere. Nam hic orator talis fuit, ut non manu, sed toto sacco sereret omnibusque suis ornamentis tam effuse uteretur, ut taedium moverent. Itaque vel e fragmentis de tota eius arte iudicare possumus. Textus adeo corruptus est; sed benevolentia Blassii, praeceptoris doctissimi, variis lectionibus codicis Parisini Dionysii instructus sum, quae hic illic nobis succurrunt. Ceterum eo textu usus sum, quem Muelleri editio Arriani exhibet.

Ἐξ ἀγαθῆς ἑορτῆς ἀγαθὴν ἄγομεν ἄλλην. A I

Ἀπὸ Μαγνησίας εἰμὶ τῆς μεγάλης Σιπυλεύς.

Οὐ γὰρ μικρὰν εἰς Θηβαίων ὕδωρ ἔπτυσεν ὁ Διόνυσος[1] *ἡδὺς μὲν γάρ ἐστι, ποιεῖ δὲ μαίνεσθαι.*

Θηβαῖοι ἐν τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Μακεδόνας ὑπὲρ τοὺς μυρίους ἀνετράπησαν.

Τῆς μὲν πόλεως κατασκαφείσης οἱ μὲν ἄνδρες παίδων συμφορὰς ὑπομένουσιν, αἱ δὲ γυναῖκες ἀνήχθησαν εἰς Μακεδονίαν, τὴν πόλιν θάψασαί τινα τρόπον.

Ὁ δὲ βασιλεὺς ἔχων τὸ σύνταγμα προηγεῖτο, καὶ πως ἐβεβούλευτο ὤτν πολεμίων τοῖς ἀρίστοις ἀπαντᾶν εἰσιόντι[2]. C *Τοῦτο γὰρ ἔγνωστο, κρατήσασιν ἑνὸς συνεκβαλεῖν*[3] *καῖ τὸ πλῆθος.* C *Ἡ μὲν οὖν ἐλπὶς αὐτὴ συνέδραμεν εἰς τὸ τολμᾶν, ὥστ᾽ Ἀλέξανδρον μηδέποτε κινδυνεῦσαι πρότερον οὕτως.* A I *Ἀνὴρ γὰρ τῶν πολεμίων εἰς γόνατα συγκαμφθεὶς ἔδοξε τοῦτ᾽ Ἀλεξάνδρῳ τῆς ἱκετείας ἕνεκα πρᾶξαι.* A I *Προσέμενος*[4] *δ᾽ ἐγγὺς μικρὸν ἐκνεύει τὸ ξίφος ἐνέγκαντος ὑπὸ τὰ πτερύγια τοῦ θώρακος, ὥστε γενέσθαι καὶ τὴν πληγὴν οὐ καιριωτάτην.* E *Ἀλλὰ τὸν μὲν αὐτὸς ἀπώλεσε, κατὰ κεφαλῆς τύπτων τῇ μαχαίρᾳ.* C *τοὺς δ᾽ ἄλλους ὀργὴ πρόσφατος ἐπὶ παλαιαῖς*[5]. *Οὕτω γὰρ ἑκάστου τὸν ἔλεον ἐξέστησεν ἡ τοῦ τολμήσαντος ἀπόνοια, τῶν μὲν ἰδόντων τῶν δ᾽ ἀκουσάν-*

---

1) Fortasse *Διώνυσος*.

2) *εἰσιών* codd ; *εἰσιόντι* Blass.

3) *συνεκβάλλειν* codd.; *ρυνεκβαλεῖν* Blass

4) *προέμενος* codd ; *προσέμενος* Blass.

5) *ἐπίμπρατο* vulgo; *ἐπὶ παλαιαῖς* cod. Paris. 1741 quod verum videtur.

των, ὥστε τετρακισχλίους[1]) *ὑπὸ τὴν σάλπιγγ' ἐκείνην τῶν βαρβάρων κατακοπῆναι.*AI *Τὸν μέντοι βασιλέα αὐτὸν ἀνήγαγον ζῶντα Λεόνναιος καὶ Φιλωτᾶς.*C *Ἰδὼν δὲ πολύσαρκον καὶ μέγαν, ὡς βρελυρώτατον*[2]) (*μέλας γὰρ ἦν καὶ τὸ χρῶμα*), *μισήσας ἐφ' οἷς ἐβεβούλευτο καὶ τὸ εἶδος, ἐκέλευσε διὰ τῶν ποδῶν χαλκοῦν ψάλιον*[3]) *διείραντας ἕλκειν κύκλῳ γυμνόν.*A *Πιλούμενος δὲ κακοῖς*[4]) *περὶ πολλὰς τραχύτητας ἔκραξεν. Αὐτὸ δ' ἦν, ὃ λέγω, τὸ συνάγον ἀνθρώπους*[5]).AII *Ἐπέτειν εμὲν γὰρ ὁ πόνος, βάρβαρον δ' ἐβόα δεσπότην καὶ ἱκετεύων.*AI *Γελᾶν δ' ὁ σολοικισμὸς ἐποίει. Τὸ δὲ στέαρ καὶ τὸ κύτος τῆς γαστρὸς ἐνέφαινε*[6]) *Βαβυλώνιον ζῷον ἕτερον ἁδρὸν*[7]). *Ὁ μὲν οὖν ὄχλος ἐνέπαιζε, στρατιωτικὴν ὕβριν ὑβρίζων εἰδεχθῆ καὶ τῷ τρόπῳ σκαιὸν ἐχθρόν.* C

*Ὄνομα κατελαβομεν, πόλιν καταλιπόντες.*AI

Τὸν γὰρ μέγιστα φωνήσαντα τόπον ἄφωνον ἡ συμφορὰ πεποίηκε. A

*Ἐκ μυριάνδρου πόλεως ἐξῆλθον, ἐπιστραφεὶς δ' οὐκέτ' εἶδον.*C

*Ἀλέξανδρε, καὶ τὸν Ἐπαμινώνδαν νόμισον, ὁρῶντα τὰ λείψανα τῆς πόλεως, παρόντα μοι συνικετεύσειν.*AI

Βασιλικῇ μανίᾳ προσπταίσασα πολίς τραγῳδίας ἐλεεινοτέρα γέγονε.

*Τί δεῖ λέγειν Ὀλυνθίους καί Θηβαίους, οἷα κατὰ πόλεις ἀποθανόντες πεπόνθασιν;*A

*Ὅμοιον πεποίηκας, Ἀλέξανδρε, Θήβας κατασκάψας, ὡς ἂν εἰ ὁ Ζεὺς ἐκ τῆς κατ' οὐρανὸν μερίδος ἐκβάλοι τήν σελήνην.*C *Ὑπολείπομαι γὰρ τὸν ἥλιον ταῖς Ἀθήναις.*C *Δύο γὰρ αὗται πόλεις τῆς Ἑλλάδος ἦσαν ὄψεις.*C *Διὸ καὶ*

---

1) *ἑξακισχιλίους* vulgo; *τετρακισχιλίους* Paris.
2) *βλοσυρώτατον* Paris.
3) *ψαλλίον* vulgo falso; *ψάλιον* recte Paris.
4) *κακῶς* suspicatur Blass.
5) *αλεγον τσσυναγαγον* Paris.
6) *ἐνεφαίνατο* Paris, falso.
7) *ἀνδρὸς* Paris.

περὶ τῆς ἑτέρας ἀγωνιῶ νῦν.C Ὁ μὲν γὰρ εἷς αὐτῶν ὀφθαλμὸς ἡ Θηβαίων ἐκκέκοπται πόλις.B

*Αἱ δὲ πόλεις αἱ πλησίον ἔκλαιον τὴν πόλιν, ὁρῶσαι τὴν πρότερον οὖσαν οὐκέτ' οὖσαν.*C

*Δεινὸν τὴν χώραν ἄσπορον εἶναι τὴν τοὺς Σπαρτοὺς τεκοῦσαν.*C

Vides clausulas cum Ciceronianis optime convenire. Nam fere habemus formas A, A I, A II, B, C. Varietas inter clausulas est etiam minor quam apud Ciceronem, quoniam et ditrochaeorum immodica abundantia, quae vel ex his exemplis nobis obviam fit, cum eo, quod Cicero de Asianorum usu dicit, plane congruit, et clausula A I innumeris locis repetita taedium movet. Itaque Cicero suo iure numeros Asianorum reprendit. Sed ipse ab iis non genere diversus est, sed gradu. Hic clausulis cum moderatione utitur nec nisi suo loco, Hegesias nimis abundanter. Qui eas non modo in periodorum, sed etiam in colorum fine solet ponere.

Continuos illos numeros, quibus Cicero raro, Hegesias quovis loco utitur, apud Magnetam fere eosdem esse atque eos, quos in Cicerone observavimus, primo obtutu vides.

Infeliciter accidit, quod ceterorum Asianorum fragmenta fere nulla habemus. Sed his eorum principis Hegesiae reliquiis fit, ut illa minus desideremus. Mihi quidem persuasum est, Ciceroni numeros non illos quidem ab Hegesia ipso (nam hunc penitus contempserat), sed ab alio aliquo oratore Rhodio vel Asiano traditos esse.

Quando autem Asianorum numeri adoptati sint ab oratoribus Romanis, non perinde facile est ad diiudicandum. C. Grachum, ut omnino non multum traxerit ex Graecorum imitatione, ita numeris quoque non studuisse, sed dicendi genere magis ingenuo atque incompto usum fuisse, fragmentorum haud mediocris copia testari videtur. Contra C. Carbonem, qui Sullae aequalis fuit, numeris usum esse, Cicero certe credidit. Qui cum affert celeberrimum illum locum ex eius oratione, dichoreo hoc tribuit, quod tantus illum applausus populi secutus sit. Sed Cicero in Oratore de numero disserens non plane integer testis est habendus; cum enim numeros suos, qui cum aliis multis displicebant

tum M. Bruto,1) ad quem Orator scriptus est, contra obtrectatores defendere studeret, dixit numero deberi illum applausum, qui fortasse revera apta enuntiatorum coniunctione et sententiarum gravitate excitatus est. Etiam numerus ille creticus, quem Cicero in Fannii oratione observavit, fortasse casui debetur, cum talia saepenumero sua sponte fiant.

Nobis, cum vetustiores illi oratores fere nihil reliquerint, refugiendum est ad Tacitum (Nam a Tacito dialogum de causis corruptae eloquentiae scriptum esse, iure hodie plerique contendunt. Hunc non mediocri notitia et veteris et recentioris eloquentiae imbutum fuisse atque plurimum conferre ad oratoriam artem cognoscendam, omnes una voce consentiunt. Atque si Tacitum sequimur, credendum nobis est, Ciceronem primum haec ornamenta ab Asianis accepta coluisse. Cf. Tac. dial. 22: „Primus enim (sc. Cicero) excoluit orationem, primus et verbis dilectum adhibuit et compositioni artem."

Haec sententia etsi fortasse non ad amussim dirigenda est, in universum tamen sine dubio vera est. Nam Tacitus in hoc dialogo tantam artis oratoriae scientiam prae se fert, ut omnium testium longe optimus habendus sit.

Etiam post Ciceronem numerorum artem cultam esse, persuasum habeo. Sed haec res cum paucis paginis absolvi non possit, alii quaestioni est reservanda.

1) cf. etiam Quintil inst. rhet. IX-4, 63, qui dicit clausulam A Bruto displicuisse.

THESES.

1) Ab eo Petronio, quem Tacitus memorat, nostros Satyricon libros scriptos esse, satis idoneis argumentis non est probatum.

2) In Aesch. Choeph. pro verbis, quae nunc extant:

ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστροφῶ δρόμου
ἐξωτέρω

restituendum mihi videtur:

ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστρόφου δρόμου
ἔξω τρέχω.

3) Locus qui est apud Demosthenem de Atheniensibus apud Chaeroneam caesis, ita sanandus videtur:

μαιόμενοι δ' ἀρετῆς καὶ λήματος οὐκ ἐσάωσαν
ψυχάς etc.

4) Inter Anacreontea quae feruntur, nullum genuinum Anacreontis carmen esse puto.

VITA.

Natus sum **Ernestus Jacobus Mueller** Stockholmii anno huius saeculi LXI, patre **Arnoldo**, matre **Henrietta** e gente **Burchard**, quorum utrumque adhuc vivere gaudeo. Religionem profiteor iudaicam. Pueritiam inde ab altero anno Hamburgii in patria patris mei degi. Ibi vere anni huius saeculi LXXIX Joannei gymnasium adii, quod rectore Hochio et tunc florebat et nunc floret. Maturitatis examine superato autumno anni LXXXI Lipsiam me contuli, ut litteris classicis simulque orientalibus operam darem. Lipsiae per tria semestria moratus sum, unum Berolini, quinque Kiliae. Ibi totum me ad litteras classicas historiaeque studium contuli, litterarum orientalium studiis ad posterum tempus reservatis. Docuerunt me viri doctissimi Lipsienses: **Brugmann**, **G. Curtius**, **Fridericus Delitzsch**, **Ebert**, **Heinze**, **Hirzel**, **Krehl**, **Eduardus Meyer**, **Ribbeck**, **Roscher**; Berolinenses: **Diels**, **Kirchhoff**, **Schrader**, **Vahlen**; Kilienses: **Blass**, **Busolt**, **Bruns**, **Erdmann**, **Forchhammer**, **Foerster**, **Glogau**, **Krohn**, **Schirren**. His omnibus iustas gratias ago. Maxime autem Blassii viri humanissimi de me merita semper memoria tenebo.